TRACTATVS
NOVVS
De Armis & Literis,

quo

De præcedentia Militis & Doctoris affatim diſſeritur.

IOHANNE LAVTERBACH
IN NOSCOVVITZ
ICto auctore.

Ejusdem Diſputatio

Vtrum Bona Eccleſiaſtica, vulgò Spiritualia dicta, rectè poſſideantur à Laicis nec ne?

15  95.

VVITEBERGÆ,
Typis M. Georgij Mullerj.

Digitized by Google

Digitized by Google

NOBILI AC STRENUO VIRO, D. HENRICO RANZOVIO, INCLYTI REGIS Daniæ in Ducatibus Schlesvic. Holſatiæ, & Ditmarſiæ Vicario, & Conſiliario, Præfecto arcis Sigeburgæ, Domino in Bredenberg & Ranzovisholm &c. Equiti literatiſsimo.

IN HAC TEMPORUM mœſticia & conſternatione publica, propter obitum Domini CHRISTIANI *Saxoniæ Ducis & Electoris Illuſtriſsimi et potentiſsimi, poſt agnitionem divinæ voluntatis, in librorum ſolatio comprimis acquievi. Ac ut animus velut à conſpectu triſtiſsimi caſus, quem matris quoq; meæ fœminæ religioſiſsimæ diſceſſus ex hac vita mihi luctuoſiorē fecit, averteretur, penſum quoddam mihi indixi, in quo deducendo, filo & ſtylo ſum uſus materiæ conveniente. Ad ejus autem abſolutionem Bruma nos in angulū tepidi Muſei concludens, nonnihil invitavit. Quid verò*

penſum dixi pelagus hactenus, niſi fallor, intentatum? Quibus remis & velis id ſulcaverim, quibus ſcutis & clypeis Armorum cum Literis ibi depugnantiũ impetus exceperim, vitaverim, quibus aſtris curſum tenuerim, et in adverſum littus tandẽ ſalvus evaſerim, pro Tua, vir nobiliſſime, & laudum rariſſimarũ cumulis ornatiſſime, in judicando peritia ſolertiaq; facilè deprehendes, eris enim mihi nunc inſtar omnium. Ideoq; ſub nomine tuo clariſſimo hanc lucubrationẽ de re omniũ maxima typis cum ordine utroq; communicare volui, ut eadem opera iniquitas eorum qui de proxima Poëmatum meorum editione ſiniſtrè judicare dicuntur, aliquo modo retunderetur. Addidi & aliam diſputationem de poſſeſſione Bonorum Eccleſiaſticorum, argumento quoq; minimè protrito; ne Literæ, Pace cum Armatorum exercitu ſi non integrè firmata, tamen Induciis factis, ſine comitatu venirent in publicum. Id ſi probabis, idem procul dubio reliqui facient, cum non ſit vicus alioquin, qui detractori-

Digitized by Google

tractoribus non abundet. Bene vale, vir immortali præconio digniſſime, & nobilitatem Germanicam exemplo tuo ad veræ nec ſimulatæ virtutis exercitium inflammare non deſine. Ruri. Cal. Mart. Anno gratiæ 1 5 9 2.

Iohannnes Lauterbach.

Nomenclatura Auctorum, qui in hoc opere citantur, ad ordinem Alphabeti.

A.

Accurſius.
Ælianus.
Ælius Lampridius.
Ælius Spartianus.
Æneas Sylvius.
Albericus de Roſate.
Alexander de Imola.
Alexander ab Alexandro.
Ambroſius.
Andreas de Iſernia.
Andreas Alciatus.
Andreas Tiraquellus.
Andreas Barbatia.
Angelus Aretinus.
Angelus Politianus.
Antonius Panormita.
Antonius Bonfinius.
Archidiaconus.
Ariſtoteles.
Auguſtinus.
Aulus Gellius.
Aulicus Balthaſaris Caſtilionæi.
Aurea Bulla.
Azo.

B.

Baldus.
Baptiſta Egnatius.
Bartolus.
Bartholomæus Salicetus.
Bartholomæus Socinus.
Bartholomæus Chaſſanæus.
Beatus Rhenanus.
Belliſarius Aquivivus.
Bertrandus.
Beroſus.
Biblia Sacra.
Boëtius.

C.

Carolus Molinæus.
Carolus Ruinus.
Chronicon Carrionis.
Claudianus.
Claudius Paradinus.
Confeſsio Auguſtana.
Cynus.

D.

Demoſthenes.
Deciſiones Rotæ.
Dio Caſsius Nicæus.
Diodorus Siculus.
Diogenes Laërtius.

E.

Euſebius.

Felinus.

Digitized by Google

F.

FElinus Sandæus.
Feſtus.
Flavius Ioſephus.
Franciſcus à Ripa.
Franciſcus Curtius.
Franciſcus Marcus.
Franciſcus Petracha.
Franciſcus Guicciardinus.
Franciſcus Lopes.
Franciſcus Vivius.

G.

GAlenus.
Guilielmus Budæus.
Guido Papa.

H.

HEnricus Cardinalis Hoſtienſis.
Hieronymus Cagnolus.
Hieronymus Butigella.
Hieronymus Rubeus.
Hieronymus Oſorius.
Hieronymus de Marſilijs.
Hippolycus.
Homerus.
Horatius.

I.

IAcobus Alvarottus.
Iacobus Cujacius.
Iacobus Spiegelius.
Iacobus Menochius.
Iamblichus.
Iaſon de Mayno.
Innocentius Pontifex.
Iohannes Zonaras.
Iohannes Nevizanus.
Iohannes Fabri.
Iohannes de Platea.
Iohannes Sanxon.
Iohannes Gerſon.
Iohannes Bodinus.
Iohannes Bolognetus.
Iohannes Schleidanus.
Ioachimus Mynſingerus.
Ioſias Simlerus.
Iſocrates.
Ius Canonicum.
Ius Civile.
Iulius Capitolinus.
Iulius Clarus.
Iuvenalis.

L.

LAncellottus Galiaula.
Lebrecht Saxon.
Luçanus.
Lucius Florus.
Ludovicus Bologninus.
Lucas de Penna.

M.

M. Mantua Benavidius.
M. Tullius Cicero.
Macrobius.
Martinus Lutherus.
Martinus Laudenſis.
Matthæus Mattheſilanus.
Matthæus de afflictis.
Moyſes Rabbi.

Nicolaus

Digitized by Google

N.

Nicolaus Boërius.
Nicolaus Everhardus.

O.

Oldradus de Ponte.
Ordinatio Cameræ Imperialis.
Ovidius.

P.

Panormitanus.
Paris de Puteo.
Paulus de Caſtro.
Paulus Æmylius.
Paulus Iovius.
Petrus Philippus Corneus.
Petrus Ancharanus.
Petrus Iacobus Ferrarienſis.
Petrus Ravennas.
Petrus Duenas.
Petrus Iuſtinianus.
Philippus Cominæus.
Philippus Decius.
Phocylides.
Plato.
Plinius.
Plinius Secundus.
Plutarchus.
Polybius.

R.

Raphael Volaterranus.
Receſſus Comitiorum Imperialium.
Rolandus à Valle.

S.

Seneca.
Servius.
Simeon Gabrielius.
Speculator.
Speculum Saxonicum, vulgo Landrecht.
Stobæus.
Strabo.
Suidas.
Suetonius Tranquillus.

T.

Terentius.
Titus Livius.
Thucydides.
Trithemius.

V.

Valerius Maximus.
Varro.
Vdalricus Zaſius.
Vegetius.
Velleius Paterculus.
Virgilius.
Vitruvius.

W.

Weichbildt.

X.

Xenophon.
Xiphilinus.

Y.

Z.

TRACTA-

TRACTATVS NOVVS
De Armis & Literis.

SUMMARIUM FILUM
operis deſignans.

1. *VEteres non explicarunt omnia integrè.*
2. *Sæpe quæritur, An Arma vel Literæ prævaleant?*
3. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.*
4. *Per diſciplinam bonos habitus aſſumimus.*
5. *Ordo politicus eſt inſtitutum divinum.*
6. *Vnusquisq; naſcitur ad artem peculiarem.*
7. *Omnes artes antecellit Armorum & Literarum ſcientia.*
8. *Cultores earũ artiũ ſemper inter ſe contendunt.*
9. *Armorũ et Literarum Etymon, item Militis & Doctoris vocabulum quid ſignificet?*
10. *Digniores præcedere debent.*
11. *Militia ſtudijs antiquior eſſe putatur.*
12. & 13. *Armis Imperia parta retinentur, Patriaq; defenditur.*
14. *Mundus admiratur gloriam bellicã, et potentiã.*
15. *Militaris ars conſiſtit in actione.*
16. *Res bello fortiter geſtæ pariunt immortalitatẽ.*
17. *Literarum uſus eſt antiquiſſimus.*
18. *Solum tempus non efficit aliquã præeminentiã.*
19. *Res magnæ ſolis armis nón conficiuntur.*
20. *Vnde bonitas aut pravitas Literarum vel Armorum deprehendatur?*
21. *Nec belli tempore Literis Principes carere poſſũt.*

B 22. Nec

Digitized by Google

22. Ratio & ingenium vires corporis antecedunt.
23. Patria Literis quoq; propugnatur.
24. Defenſio major eſt, quàm offenſio.
25. Ærumnæ fateles nemini ſunt exprobrandæ. (mæ.
26. Victoriæ bellicæ ſine Literarũ præſidio ſunt infir-
27. Multa ad uſum rei bellicæ ſpectantia petuntur à
(Literis.
28. Arma incurrunt odium, Literæ conciliant amorẽ.
29. Ab objectis oculorum non eſt judicandum.
30. Togatos ordines duxiſſe, & ferro non minus de-
31. Iudiciorum diverſitas unde? (certaſſe.
32. Finis cujusq; rei conſiderandus.
33. Quomodo virtus intellectiva ſit excellẽtior activa.
34. Literæ debent ad uſum communem transferri.
35. Cur Fortitudo Iuſtitiæ vulgò præferatur? (ſita?
36. Vera antiquorũ Principum gloria in quo fuerit po-
37. Literis debetur omnis rei geſtæ memoria.
38. Apud multas gentes Sapientia prælata fuit armis.
39. Ipſi Literati ferè loco cedunt Militibus.
40. In cauſſa propria nemo iudicare debet.
41. Vita Principis eſt perpetua cenſura.
42. Leges ſunt inventio & donum Dei.
43. Magnatum liberi literis erudiuntur.
44. Tituli ſcholaſtici ab Imperatoribus introducti.
45. Literæ potentes habuerunt adverſarios & aſ-
46. Hodie deſperatio ferè facit militem. (ſertores.
47. Virtus conſpicua præmio eſt afficienda.
48. Bellando fermè plus amittitur quàm acquiritur.
49. Fortuna in literatos minus habet juris.

50. *Studia*

Digitized by Google

50. *Studia ferociam compeſcunt.* *(artem.*
51. *Natura regulariter hominem producit ad unam*
52. & 53. *Heroici viri à Regula ſunt excepti, & loco celſiori meritò collocandi.*
54. *Melior eſt Sapientia quàm ſunt arma bellica.*
55. *Contrarietates diſtinctione concordantur.*
56. *Lege deficiente iuxta conſuetudinem notoriam iudicatur.*
57. *Arma firmiora ſunt adiuta ratione & conſilio.*
58. *Quibus actibus Doctor antecedat Militem.*
59. *Et quid in Doctorellis, quomodo item Doctores facultatum præcedant invicem, ubi etiam de tempore, patre habente filium Doctorem, & prælatione Doctoris nobilis, item habentis gradum in utroq; Iure.*
60. *Pro Doctoribus quid utiliter allegari poſſit.*
61. *Quid milites & nobiles ad hoc opponere queant.*
62. *Ordo ſcripturæ quando conſideretur vel non.*
63. *In aulis Principum antiquitas & favor operatur præceſſionem.* *(tos.*
64. *Voluntas Principis numeratur inter caſus fortui-*
65. *Actiones publicæ magnæ prærogativã demõſtrãt.*
66. *Patrocinij vel agnationis nomine Doctores propria virtute pollentes, honorantur.*
67. *Mariti, ſponſi, patres, cælibes præcedunt.*
68. *Hoſpitibus ſingularis honor tribuendus.*
69. *Ordo militaris tam latè patet, ut ipſum Imperatorem comprehendat.* *(ferat.*
70. *Quod honor quidam cæleſte vel divinum præ ſe*

71. *Plures ſunt gratiæ Dei privativæ quàm poſitivæ.*
72. *Dignitates ſtatuum in publicis Imperij Seſſionibus, quo ordine ſpectentur?*
73. *Forma Sphærica in Seſſionibus quid operetur?*
74. *De lite Superioritatis inter Galliæ & Hiſpaniæ Reges, item inter Italiæ principes & populos, quasdamq́ nationes.* *(jubentur.*
75. *Soli Clerici propter Fidei reverentiam præcedere*
76. *Electores Imperij quomodo aſſideant Imperatori, & utri digniores.*
77. *De honoribus Laicorum Iudicũ & magiſtratuũ.*
78. *Solus Imperator adoratur, Magnates tormentorum tonitruis nonnunqaam ſalutantur, Papa autem oſcula pedum non veretur admittere.*
79. *Vaſallus eſt obligatus ad honorem Domini.*
80. *Miniſtri nobilium Germanorum dominos equitando præcedunt, ſed poſt ſigna pugnant.*
81. *Poſteri clarorũ virorũ ſunt memores originis ſuæ.*
82. *Omnia habent principium & finem.*
83. *Surrogatum ſapit naturam ejus in cujus locum*
84. *Dona Dei non ſunt hæreditaria.* *(ſurrogatur.*
85. *Ceſſante cauſa ceſſat effectus.*
86. *Nobilitas ſine Virtute nihil eſt.*
87. *Conſuetudo irrationabilis tollenda.*
88. *Boni mores prævalent divitijs.*
89. & 90. *Agricultura quem non facit nobiliorem, ut nec Potentia per ſe conſiderata.*
91. *Germani plurimum tribuunt nobilitati generis &*
92. *Virtute decet, non ſanguine niti.* *(nativitatis.*

93. *Chri-*

93. CHRISTUS voluit ex humili radice naſci.
94. *Nobilitas interiorem perfectionem requirit, quæ demum meretur honorem.*
95. *Quàm diu nati familijs eximijs præſumantur eſſe*
96. *Quibus modis Nobilitas contrahatur. (nobiles?*
97. *Civilis gubernatio conſiſtit in armata & togata militia, & utraq; ſubdividitur.*
98. *Angeli boni & mali quoq; diſtinctos habent gradꝰ.*
99. *Par in parem non habet imperium.*
100. *Semel omnibus mori eſt neceſſe.*
101. *CHRISTVS non ſuſtulit politias.*
102. *Natura civilis regiminis veſtigia animantibus irrationalibus impreſſit.*
103. *Quæ ſint bellorum ſpecies. (ratur.*
104. *Nec Miles nec Doctor à patria poteſtate libe-*
105. *Milites hodierni privilegijs veterum gaudent.*
106. *Minor poteſt Doctorari & eſſe Miles.*
107. *Doctor gradatim promovendus eſt, ut miles ab inferioribus numeris ad majores evehitur.*
108. *Infamis non poteſt fieri Miles aut Doctor.*
109. *Doctor & Miles juramentum præſtat.*
110. *Magiſtri nomen commune literatis & militibus.*
111. *Pro Doctore aut Milite ſe venditans incurrit pœnam falſi.*
112. *Doctor impunè geſtat arma etiam prohibita.*
113. *Potentia vicina actui habetur pro actu.*
114. *Vetuſtior in promotione potiorem habet locum.*
115. *Meritum vetuſtati prævalet.*
116. *Militum Magiſtro de militibus, & Univerſitatis Rectori de Scholaribus fides habetur.* Ne-

Digitized by Google

117. *Nemo tenetur ſervire proprijs ſtipendijs.*
118. *Milites neminem debent concutere, nec Doctores manus extendere ad iniquitatem, aut Advocati de quota litis paciſci.*
119. *Doctor & miles ſunt perſonæ privilegiatæ*
120. *Ambo habent excuſationem à tutela, & cura, ſi miles vacet armis, & Doctor ſit in obſequio Principis.*
121. *Quatenus miles aut Doctor teneatur ad collectas*
122. *Miles & Doctor eſt immunis à muneribus perſonalibus.*
123. *Stipendia Militũ et ſalaria Doctorũ tantùm in ſubſidiũ capiuntur in executione ſententiæ, & neuter plus tenetur, niſi in quantũ facere poteſt.*
124. *Vitia accidentalia militum & Literatorum honorem non extinguunt.* *(conceſſum.*
125. *Peculium q. caſtrenſe ad ſimilitudinem caſtrenſis*
126. *Peculium utrunq; non confertur, & de illis liberè diſponitur.*
127. *Tam literatus quàm miles honeſtam miſſionẽ poteſt impetrare ab infinitis corporis & animi laboribus.*
128. *Infirmis ſtipendium debetur.* *(boribus.*
129. *Vtrisq; ſuccedit ſuus hæres.*
130. *Nobiles & Doctores à Iudice invitantur ad ſedendum.*
131. *Vterq; propter virtutem eſt in admiratione, cui virtuti ſtuduit, etiam ſexus imperfectior.*
132. *Cur et quatènus in feudo fœmina non ſuccedat?*
133. *Militi tam armatæ quàm togatæ militiæ feuda concedun-*

Digitized by Google

conceduntur, & utriusq; viduis paria debentur ex bonis feudalibus relictis.

134. *Armamentaria & bibliothecæ à principibus inſtituuntur propter utilitatem publicam.*

135. *Nihil ab omni parte beatum.*

136. *Multi præclari milites & togati in maximas incidere calamitates.*

137. *Eius infortunii cauſſæ quædam inveſtigatæ.*

138. *Quomodo miniſtri Curiales præmuniri debeant.*

139. *Literæ & Arma parificantur.* (commune.

140. *Ius aureorũ annulorum literatis & equitibus eſt*

141. *Vtrum præcedat habens arma et inſignia à Principe, vel habens à ſeipſo.* (Coryphæi.

142. *Inſignia Bartoli à Saxoferrato interpretum*

143. *Nobiles & Doctores in Camera Spirenſi paribus ſtipendiis fruuntur.*

144. *Hac alioquin iniquiſſima literis ætate Docti Principales apices aſcenderunt, & adhuc unà cum nobilibus in Capitulares Eccleſiarum maiorum deliguntur.*

145. *Contentiones de honore fugiendæ.* (bernari.

156. *Chriſto placuiſſe, mundum Armis & Literis gu-*

147. *Chriſti meritum omnibus æquale, concordiam efficaciter perſuadere debet.*

148. *Cur in Germania bombardæ, & ars Typographica fuerint adinventæ?*

149. *Adhortatio ad amplectendam Virtutem bellicam & togatam.*

Ad

Digitized by Google

Ad Tractatum &c.

Ioh. Lauterbachi,

EQ. ſtrennuiſsimi.

Nempe ſui plenus truculentis turget in armis
Troſſulus, & ſolis it Troſſulus efferus armis:
Momentum non grande putans tranquilla togatæ
Nomina militiæ ſectari Pacis in umbrâ,
Contrà, qui Clariæ ſeque & ſua mancipat arti,
Plus homines *LONGÆ* quàm *CVRTÆ* veſtis honorat;
Et Druidas Equiti præponens negligit iſtam
Bellonæ ſubolem crudi Mavortis alumnam.
Sæpiùs acta fuit non uno judice res hæc:
Sed patrocinio pars utraque tuta fideli
Erubuit de jure ſuo concedere parti,
At nunc ambiguæ ſufflamina ponere litis
Lege jubet latâ ſic *LAUTERBACHIUS*: ut cum
Pallade (quis credat?) Mavors conjuret amicè,
Et conjurato victuros fœdere dicant,
Scilicet hoc potuit non quivis unus in horto
Muſarum eductus, vel ſolo Marte; ſed is, qui
Bellandi fandique potens, & prælia Muſis
Temperat, & rigidum moderatur Apolline Martem.

FRID. TAVBMANVS,
Poëta Laureat.

Digitized by Google

PLVRIMI SIBI PERSVA-
dent, ſcriptores veteres de rebus ad
vitam civilem pertinentibus omni-
bus, ita graviter & accuratè tractaſ-
ſe, ut poſteris, licet non minus ſtu-
dioſis hominibus, argumentum in-
genij exercendi nullum ſit relictum: ſed neceſsitas
quædam potius impoſita, vetera tantum admiran-
di, & pro certo habendi. Quod ſi ita eſſet, cunctos
in ſilentio literarum modò conſeneſcere oporte-
ret, id quàm ſit abſurdum dicere, nemo non intel-
ligit. Mihi itaq; ſic videtur; Quemadmodum à
priſcis illis Heroibus fortiter agendi facultas natu- 1.
ris præſtantibus non eſt prærepta, ſed illorum for-
titudo virtuti ſtudentibus potius eſt ad imitandum
propoſita; Ita veterum quoq; eruditio & perfectio
literarum doctrinis innutritis & aſſuefactis ſtimu-
lus quidam debet eſſe, ut eadem qua ipſi proceſſe-
runt via, veræ laudis decus adipiſci, ſimulq; Reip.
prodeſſe nitantur. Etſi verò propter tenuitatem
noſtram veteris doctrinæ & eloquentiæ fines at-
tingere deſperamus; Si tamen conſuetudinem
laudabilem aliquid ad utilitatẽ publicam nonnun-
quam commentandi, & in literas referendi, pro
virili tueamur, quis erit, qui vitio poſsit vertere?
maximè ſi de controverſia quapiam ſententia no-
ſtra expetatur, & eam honeſtè occultare non lice-
at. Cum itaq; ſæpe quæratur, Arma vel Literæ,
utrum plus humano generi conferant, & utrius ar- 2.
tis cultores alios meritò præcedere debeant? Nec
hactenus ea Quæſtio ab ullo, quod ipſe ſciam, in-
tegrè tractata, multo minus definita ſit, in gratiam
eorum, quibus nuda veritas magis, quàm commu-
nis & inveterata opinio cordi eſt, ſimpliciter, ſi-

 neq;

neque coloribus & amplificationibus Rhetoricis, quid in utramque partem probabiliter afferri poſſit ac ſoleat, & in hac re, donec lege publica certi quid ſtatuatur, ſequendum, chartis mandare non gravabimur, non tam ut exſpectationi curioſorum reſpondeamns, quàm ut in cultu virtutis magis ipſi confirmemur, & alij ad eundem feliciter urgendum ſimul accẽdantur. Tum vel in hoc mihi ipſi ſatisfecero, ſi in hac minimè vulgari materia ingenioli mei vires experiar, meque ad ſimilia perficienda nonnihil exuſcitem; Valet enim ingenium, ubi intenditur. glos. in §. illud quoq;, verbo, advenientibus, in Authent. de exhiben. reis.

Inde ergò, divini numinis auxilio ſuppliciter
3. invocatò, miſsis ambagibus, initiũ faciamus. Mundum quidẽ in maligno poſitũ, & res humanas nihil eſſe, niſi merã, vanitatẽ, ut ex Eccleſiaſt. ca. 1. fortunæ ſuæ memor exclamabat Gilimer Vandalorũ in Africa rex, Conſtantinopolin triumphi ſpecie perductus, Chronicon Carionis part. 2. in Gilimere. Vnde fit, ut Virtutem & ſapientiam à natura non habeamus, in peccatis enim conceptus homo ita quoq; naſcitur. Pſal. 51. quod apud Ethnicos Plato in Menone, & Ariſtoteles 1. Ethicorum. item
4. 2. magn. Moralium quoque aſſeverarunt; Sed potentiæ & diſpoſitiones inſitæ, adhibita demum diſciplina, nos præparant & aptos faciunt ad habitus bonos apprehendendos. Cum verò Mundus hic viſibilis ſine ordine certo durare non poſſet, & humana pravitas relicto miti parentum imperio indies invaleſceret, mens illa architectatrix & æterna, præpotens nimirum D E V S, poſt univerſale Diluvium, ordinem politicum & dominia ad continendos in officio rebelles & profligandos hoſtes

hoſtes publicos, vaſtitatem generis humani moli-
entes, conſtituit, Gen. 9. Moxq; violentia illa præternaturalis cœpit uſurpari, quam Servitus etiam ſubactorum populorum comitata, §. ſervitus. Inſtit. de jure perſon. §. ult. Inſtit. de ſervit. l. manumiſsiones ff. de iuſtic. & iur. Quod inde patet, quia libertatem nemo bonus niſi cum vita amittit. l. libertas. ff. de reg. ju. Lucas de Penna in l. unica. C. de cap. civ. cens. exhib. col. 3. lib. 11. Cum autem belli finis ſit Pax, progreſſu temporis familijs in unum collectis Legum ſanctione fuit opus, et illorum denique opera, qui Ius dicendo & adminiſtrando lites dirimerent. Pompon. in l. 2. §. poſt originem. ff. de orig. ju. & æqualitatem, quæ Concordiæ mater eſt, Novella, ne Mulier quæ nupt. §. ſin autem, Conſtit. 2. inter cives conſervarent. 5.
Quoniam verò DEVS & natura unumquemque ad peculiarem artem quandam exercendam produxit, & nemo eſt, qui alterius non indigeat opera, varij gradus & ordines civium introducti, Ariſtot. 1. polit. cap. 2. Auguſtinus libro 15. de Civitat: DEI, cap. 8. qui dextre permiſti, ſibique invicem copulati, integram demum Civitatem & Remp. qualis à veteribus illis Sapientibus, Platone Ariſtotele, Xenophonte, Polybio, Averroe, & cæteris deſcribitur, efficerent. Ac ut propius ad rem deveniamus, cum obligatione naturali, quæ eſt inter omnes homines, iubeamur inſervire proximo, c. debet homo. 23. q. 5. quod quidem modis velut infinitis poteſt adimpleri; Omnes tamen artes præcipuè verò mæchanicas, ſive ad ſuſtentādā, ſive ad ornandam vitam civilem ſint adinventa, longo intervallo Armorum ſtudium, & literarum ſcientiam antecellere, certum eſt & exploratum. 6.

Maximum enim opus in terris eſt hominum gubernatio, quæ duobus his adminiculis ſuſtinetur. Licet verò utroq; Reſp. pariter opus habeat, & unumquodque horum meritò debeat magnifieri; Superbia tñ & Ambitione, qui morbi ex humanæ naturæ depravatione pullularunt, factũ eſt, ut homines militares, quibus grave ſemper fuit humanitati aſſuefieri, & æquo iure vivere, primum locum non tam concupiverint, quàm invaſerint, ex alto ferè contemtis & deſpectis illis, qui literas
8. non minore ſudore & periculo tractando, Reip. utiliſsimam quoq; navant operam, quod in Thraſone videtur ſignificaſſe Comicus Eunuchi Actu 2. ſcen. 2. ibi. Eſt enim genus hominum, qui eſſe primos ſe omnium rerum volunt, nec ſunt. E diverſo litreati ſe ab hoc faſtigio præter meritum conqueruntur excludi, & ut hunc præeminentiæ ſingularis locum recuperent, anniti ſedulò deprehenduntur. Quibus utrumq; de cauſsis eveniat, operæ precium fuerit inveſtigare. More ergo ſcribentium nominũ derivationes et definitiones præmittimus. Armorum etymon ab armis, id eſt humeris, à quib9 arma depẽdent, eſse, inquit
9. Feſtus; Servius ait appellata, quod humeros tegant; Varro ab arcendo dicta exiſtimat. Armorum verò vocabulum non ea tantùm continet, quæ pro corporis noſtri tutela gerimus, ſed ad ea quoq; quæ offendendi cauſa habemus, refertur, l. armorum ff. de verb. & rer. ſignif. l. 2. ff de capt. & poſtlim. rev. Habent & aliud ſignificatum, ut cùm non pro bellicis ſolùm, ſed pro cæterarum artium inſtrumentis capiuntur, velut arma ſtudioſorum, coquorum, piſtorum, item nautarum, & ruſticorum dicimus. l. 3. ff. de rei vendit l. 1. l. qui accuſare. C. de eden. Armatos milites Iu-

raali às

Digitized by Google

ra aliàs caligatos appellant. l à. caligato, C. de nupt. Dicuntur & arma Inſignia familiarum. Nos hic ſub armorum nomine ſtudia bellica, eaq; ſectantes, ut ſub toga pacem notiſsimo tropo intelligimus. Litera à litura dicta creditur, quod ſcripta deleri poſsit, antiqui enim in ceratis tabulis ſcribebant, vel ſecundum quoſdam litera, quaſi legitera, quod ad legendũ præbeat iter, vel quod in legendo iteretur, ut inquit Servius. Ex literis efficitur ſyllaba, ſyllabæ verba gignunt, quæ ritè compoſita deniq; producunt orationem. Literæ de noſtrorum ſententia cum pro quolibet ſcripto ſimpliciter accipiuntur. l. qui mutuam ff mandati: tum pro documentis et inſtrumentis, nota. in l. ſi procurator abſentem, ff. de procurat. Nobis hoc loco vocantur literæ ſcientię vel diſciplinæ literarum monumentis contentæ, & his operam dantes, easq; tractantes, literati. Miles à multitudine denominatus, vel à malo quod arcet, vel à mille, vel à mollicie, per contrariũ ut Feſtus autumat Proprie peditem vel gregariũ ſignificat. Vulgò pro equite accipitur. Quælibet autẽ interpretatio ſumit robur ex communi uſu loquendi, l. librorũ § quod tñ Caſsius. ff. de lega. 3. Milites olim qui dicebantur, copioſè declarat Accurſius in l. pen. ff. ex quib. cauſ. maior. & Specul. in Tit. de procurat. § 1. Erant autem vel cincti vel ſagati, vel caligati, de quibus ſcribit Alexander Neapol. lib. 6. Genial. dier. ca. 22. Doctor verbale à docendo, Docet autem qui alicuius rei cognitionem & ſcientiam alteri tradit, fertur quoq; militare. Militiæ enim appellatio latiſsima non ad arma ſolum ſpectat, ſed univerſitatem quoq; deſignat, ut tota militia Palatina dicitur, ſub eaq; tàm Clerici quàm conſiliarii & advocati compre-

 hendun-

Digitized by Google

henduntur, ut communiter ſentiunt, & infra ſuo
loco monebimus. Videndus etiam Alciatus lib,
1. prætermiſs. & de generibus militiæ Budæus in l,
1, ff depoſiti. Magiſtri quidem nomen antiquius
eſſe videtur, de quo in l. quibus ff. de verb. & r e.
ſignif. Ac Doctores Legum ſub magiſtrorum
nomine contineri rectè annotavit idem Alciatus,
eoque venire putat Baccalaureos, Licentiatus &
Doctores. Sicut enim Athletæ antiquo more
Græciæ tribus coronis inſigniri ſolebant, l. 1. ff. de
athlet. Ita in agone literario tres diſtincti ſunt
gradus. Quibus breviter addo, Doctorum præ-
ſertim in iure nomen dignitatemque in uſu eſſe
cœpiſſe circa annos Imperij Lotharij Saxonis, qui
Leges Romanas publicè in ſcholis denuo proponi
juſsit & explanari. Cum verò doctiſsimi quiq;
legale ſtudium amplecterentur. Monachi veriti,
10. ne Theologia deſereretur, exemplo iuris conſulto-
rum itidem diſputationes ſcholaſticas de rebus ſa-
cris inſtituerunt, demumq; ritus promotionum ad-
huc uſitatos addiderunt. Beatus Rhenanus in
notis ad Tertullianum. Rationes dubitandi in
hac omnium maxima lite & controverſia ſunto.
Digniores debere præcedere, & honorem ſervan-
dum eſſe inviolabilem. l. prohibere. ff. quod vi aut
clam, & iniuſtum eſſe, ut maior ſerviat minori. c.
eſt ordo. 33. q. 5. l. ſicut patronus. ff. de oper. libert.
Regulare quoq; eſt, vt quod quis invitus patitur,
non afferat ei præiudicium. l. 1. C. de inſtit. & ſub-
ſtitut. l. præſes C. de appellat. Nec debet quis
eſſe magis ſubditus quàm expedit. C. admonendi.
11. q. 7. aut pati ſe eſſe contemtibilem. Bald. in l.
nec quicquam §. circa advocatos ff. de offic. pro-
cons. & lega. Item locum alienum non debet quis
occupare absq; eius licentia. glos. in l. fina. C. de
offic.

Digitized by Google

offic. magiſtr. Petenda ergo eſt Reſtitutio in integrum. fa. Tit. Cod. de reſtit milit. & eor. qui abs. Reip. cauſ. quia ſpoliatus ante omnia reſtitui debet, c. cum item, extra, de reſtit. ſpoliat. Et ſic una pars alteram de ſpolio honoris convenire poteſt, c. ult. extra de reſtit. ſpoliat. Vide & Bald. in l. obſervare § antequam ff. de offic. procons. & 3. q. 1. Competeret etiam actio iniuriarum aut iudicium poſſeſſoriũ, idē Bald. in c. licet causā, nu. 6. de probat. Felin. ibid. nu. 1. per notata in l. ſi duo patroni ff de iureiur. Etſi enim apud Deum non eſt acceptio perſonarum. Eſaiæ 24. Act: 2. tamen in humana ſocietate eā diſcrimina meritò ſervantur, & iura noſtra ſemper diſtinguunt inter perſonas. to. Tit. ff de ſtatu homin. & toto Tit. Inſtit. de iure perſon. Ac diligenter olim fuit obſervatus ordo, qui eſt ſtatus hominum diſcretio, conditioni accommodata. Sic Romana Rep. florente ordo erat ſedendi in Theatris, ut Vitruvius de architectura meminit, diſcernebātur enim ſenatores, equites & plebs, libertis non manumiſsis vindicta prorſus excluſis, & ſervandis illis gradibus, quidam magiſtratus erant præfecti, quales hodie videntur eſſe Magiſtri ceremoniarum apud ſummos principes.

Accedo nũc ad argumenta partium, Primum fundamentum prærogativæ militaris putatur eſſe Militiam ſtudiis eſſe antiquiorem. Nimroht enim Chuſi filius gentes inſtinctu divino ſubegiſſe, & armorũ uſum introduxiſſe legitur Geneſis cap. 10. 11.

Alterum & quidem Achillæum argumentum eſt, Armis ceu freno Imperia retineri, & ad poſteros transmitti, cuius quidem rei innumera documenta ſuppeditant hiſtoriæ ſacræ & profanæ. Sed omnium inſtar eſt conſilium Panſæ & Hircij, quod experientia laudabile fecit. 12.

Sua-

Suaſerant hi Iulio Cæſari, ut armis quæſitum principatum Romanum armis quoq; retineret, cum ille inimicis ignoſcendo clementiæ laudem fruſtra captaret.

13. Tertio, armis quoq; Patria defenditur, & devictis hoſtibus, omniq; vitæ periculo depulſo civium ſalus procuratur. Exempla cuilibet in hiſtoriis verſato ſunt inpromtu. Sicut è diverſo armorum præſidio nudatæ regiones hoſtium prædæ ſunt expoſitæ. Teſtatur id miſera Vngaria, ac plures exiſtimant, Turcicæ gentis audaciam eousq; non fuiſſe progreſſuram, ſi Ladislaus Mathiæ Corvini in eo regnò ſucceſſor diſciplinam militarem diligentius obſervaſſet.

14. Quarto. Pro militibus multum facit, Mundũ admirari magis & ſuſpicere Potentiam, gloriam bellicam, triumphos, quod cum ſit notorium, probatione non indiget. fa. c. cum olim., de verb. ſignific. Adde Abbat. in c. ex inſinuatione, in fi. de appellat.

15. Quinto, Ars militaris conſiſtit in Activa, cum ſcientia Literarum circa nudam contemplationẽ ſit occupata, Ergo militia dignior, & potior.

16. Sexto, Res bello fortiter geſtæ reddunt homines immortales. Ergo arma ſine dubio pluris facienda. Quibus fundamentis ordine impugnatis, ita ſtylum temperabimus, ne indictis Interpretum noſtrorum, aliorumq; ſcriptorum teſtimoniis & auctoritatibus coacervandis videamur immodici, utq; præiudicijs adverſæ partis non obſtantibus, ad Concluſionem cauſæq; determinationem, qualis nunc quidem dari poteſt & haberi, nihilominus deveniamus, & Notabilibus quibusdam collectis, res per familiare dicendi genus, monitione non inutili, tandem finiatur.

Ad id

Ad id ergo quod priori loco de Antiquitate proponebatur, Reſpondeo, Admodũ controverſum eſſe poſt expeditionẽ Nimrothi, qui in Babylone regnare cœpit, c. venerabilem, de elect. artic. 44. lib. 3. Landrecht artic. 6. & 7. cum gloſſa Weichbildt, literas demum natas, & vel ab Aethiopibus inventas, ut Diodorus Siculus lib. 4. aſſerit, vel à Moyſe iuxta Euſebium lib. 8. & 10. primum traditas. Ioſephus enim libro primo Antiquitatum graviſsimus auctor eſt, ante Diluvium literas in uſu fuiſſe, & liberos Seth filij Adam columnis duabus latericiæ & lapideę rerum cœleſtium diſciplinam, & aſtrorum motus inſcripſiſſe, ne in interitu rerum, quem prædixerat Adam, periret. Epigenes quoq; obſervationes ſidorum ad complures annos coctilibus laterculis apud Babylonios inſculptas fuiſſe prodidit, ex quo apparet æternus uſus literarum, quæ ſunt verba Plinij lib. 7. natural. hiſtoriæ cap. 56. Fieri ergo potuit, Moyſen vel Abrahamum, cui Philo literarum inventionem aſſcribit, eas antea vi aquarum deletas, rurſus mõſtraſſe quæ à Syriis ad Phœnices, deinde in Græciam per cadmum translatæ, à Palamede Troiani belli tempore, & Simonide Melico locupletatæ ſunt, & ulterius propagatæ. Ac vero planè conſentaneum eſt, earum uſum in cultu divini numinis ex Oeconomica gubernatione apud primęvos Patres viguiſſe. Quemadmodum teſtatur Rabbi Moſes in libro Perplexorum, Adamum primum hominem libros de cultu terræ compoſuiſſe. Deinde inter ſaniores conſtat, Tempus ſolum, abſente nimirum illa excellentia requiſita, præſertim in Individuo, non introducere veram præeminentiam.

17. (margin, beside "duabus latericiæ…")

18. (margin, beside "hominem libros…")

Secundum argumentum declarationę neceſ-

D ſaria

ſaria ſic evertitur. Sola arma regnis & Imperijs non ſufficere, nec ſolis armis res magnas confici.
19. Immò belli tempore quo ſcilicet expediuntur arma, licentia barbarica dominatur, & omiſſa agricolatione, iudiciisq; neglectis horrenda vaſtitas efficitur. Ex fructibus autem eſt cognoſcenda arbor, Math. 7. Eius rei exempla manifeſtiſsima ſunt, Luculentiſsimum verò teſtimonium perhibuit Italia, olim totius orbis caput, atteſtante Imperatore Iuſtiniano in l. 1. §. ſed & ſi quæ leges. C. de veteri iure enuclean. & Provinciarum Domina. l. Roma. ff. de incolis. Lancell. in l. ſi quis a filio col. 1. ff. de legat. 1. Alberic. in Dictionario, verbo Italia, à gentibus Septentrionalibus poſt inclinationem illam Imperii Romani miſere dilacerata. Contra Pacis tempore ſtudia literarum florent, & adminiſtratur juſticia. Tumq; utriuſq; rei diſcrimen facilè deprehenditur, cum diſciplina collapſa, vel in tranſitu rerum, qui turbis, iuxta Tacitum lib.
20. 2. eſt oportunus, Reſp. inſtauratore literato peritoq; juſticiario opus habet. Remota enim iuſticia, quid regna ſũt aliud, quàm magna latrocinia? Auguſtinus lib. 4. de Civitate DEI cap. 4. Cumq; latet juſticia, fit chaos, ac univerſa confunduntur. Et propter iniuſticiam transferuntur regna de gente in gentem. Eccleſiaſt. 10. Huic enunciato qui fidem non habet, ſibi ponat ob oculos ab una parte occiſiones hominum cuiuscunq; ſexus & ætatis, agrorum devaſtiones, incendia urbium, ruinas & expilationes ædium ſacrarũ; ab alia verò amœnos hortos, luxuriantem ſegetem, vinearum proventus uberes, lęticiam plebis, quietam rei divinæ procurationem, & alterius bonitatem, alterius verò pravitatem facilè dignoſcet. Adhæc in bellis inciduut negocia, quæ doctrinam & prudentiam

magis

magis requirunt quàm vim armatam. Hinc illud Ciceronis libro 1. Offic.

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ: Sic ut nec in ardore bellici tumultus, literatorum induſtria Principes carere poſsint, eorum enim in indicendo, gerendo, & terminando bello, cum nimirum fiunt induciæ, cum fœdera & pacificationes deliberantur & concluduntur, maximus eſt uſus. Tumq; vera virtus ſapientiæ coniuncta ad umbratam virtutis ſpeciem abolet, ceu ſolis radij tempore Solſtitij æſtivi, cum ſol eſt altiſsimus, recta undiq; ſparguntur, ſuoq; lumine nullum umbris locum relinquunt. Eſt nempe Sapientia gubernatrix actionum & conſiliorum omnium. Quocirca Græci veteres artem utramq; ita coniunxerunt, ut eo inſtituto cum Perſas fregerint, tum ferociſsimas gentes alias ſibi ſubiecerint. Sicut & Romani fortitudine bellica florentiſsimi literis nō minus exculti fuêre. Cum ſecundum Ciceronem allegato libro 1. de officijs duo ſint omnino decertandi genera, Vnum per diſceptationē, alterum per vim, & Comico dicente, nihil proſit foris eſſe ſtrenuum, niſi domi ſit conſilium. Vt autem ratio & ingenium vires corporis & promtitudinē illam manuum in conflictu pugnaq; ſtataria requiſitam præcedit: ita doctus quiſpiam militem pugnantem poſt ſe relinquit. Quod ipſum Polyphemi Cyclopis ab Vlyſſe exoculati fabula poëtę homines ingenioſiſsimi voluerunt exprimere. 21. 22.

Iohannes Galeatius Mediolani dux, hoſtis Florentinorum dicere ſolebat: Plus ſibi detrimenti afferre Collutij Pietij Oratoris & Florentinæ Reip. tabellionis epiſtolas, quàm mille alioquin equites armatos. Volaterran. lib. 21. Hinc Phocylides: Robuſto ſapiens longè præſtare videtur. Et Maro lib. 2. Aen.

Arma

Ad quod firmandum ſapientiſsimi Catonis in oratione contra Catilinam dictum adducemus; Non ſolis armis Reſp. Romana crevit, ſed alia fuêre, quæ illos magnos fecêre, domi induſtria, foris iuſtum imperium, animus in conſulendo liber, neq; delicto neq; libidini obnoxius. Quas ſanè virtutes à literis originem & incrementum ſumſiſſe, negari non poteſt. Florus ait, Imperia viribus parari, iure ac legibus retineri & conſervari, ad legum autem tractationem literis velut inſtrumento eſt opus. Ideoq; ſapiens vetuſtas figmento Palladis, quam belli & ſtudiorum præſidem fecit, uſa eſt.

Tertio pro militari diſciplina arguebatur; Patriam ſalubriter armis defendi.
23. Eſto, ſed adhuc non ſolis armis, ut ex modò dictis apparet. Deinde an non à peritis Advocatis l. advocati. ff de advocat. divers. iud. res Univerſitatis & ſingulorum fortunæ propugnantur, vita civium innocentum. l. ut vim. ff. de iuſt. & iur. vel etiam fama quæ vitæ æquiparatur, vulg. l. iuxta ff. de manum. vindict. defunditur. & aſſeritur? An non à Medicis ſalutis humanæ cura vel ipſo belli tempore geritur? l. 1. ff de var. & extraord. cognit. in quorum claſſem quo minus referantur chirurgi vulnera obligantes & ſanantes, nihil obſtat. Quid quod Rationales, reditus annuos vel extra ordinem indictos, nervos uidelicet rerum gerendarum, magno ſtudio colligunt, & in publicos codices referunt, unde & ipſis militum præfectis ſtipendia perſolvantur?
24. Ac ſi defenſio, iuxta veterem legem militarem, maior eſt quàm offenſio, certè in conſilio & prudentia magis conſiſtit, quam in conſertione manus. Prælio enim, præſertim reclamante ſorte, ſalutem

ſalutem Reip. commiſiſſe multis fuit exitio. Tum facile quidem ſumuntur arma, ſed ea cum volumꝰ, deponere non eſt licitum: Fiduciam igitur in ſolis armis ponere, res eſt incertiſsima. Vngarici verò regni calamitas, quam nonnulli ſcriptores ab eventu iudicantes, remiſsioni vel neglectioni ſtudij militaris attribuunt, potius commiſerationem merebatur. Deſinant ergo illi velut unguis in ulcere fatales ærumnas miſeris exprobrare, quas graviores ſanè cauſſæ furor nimirum & tyrannis Eccleſiaſticorum, ordinum reliquorum diſſenſio, inopia conſilij, luxus amentis plebis, & hoſtium contemtus accelerarunt. Sapiant etiã reliquę gẽtes Europæ, nec ſuas furenter ruant in clades, quod in omnium fere regnorum occaſu eveniſſe, dolendum potius erat, quàm proximi recens et aſperrima plaga fricando temerè renovanda, 25.

Felix quem faciunt aliena pericula cautum,

qui Claudiani verſus in Novell. de mand. princ. §. titulos Conſtit. 7. allegatur.

Quarto pro cultoribus armorum afferebatur, Gloriam bellicam eſſe in maiori admiratione. Cui denuo opponitur, Victorias armis partas firmitatem ſine conſilio & doctrina, quæ ſanè ex literis petitur, habere non poſſe. Immò conſtans eſt opinio, ordinem ipſum militarem è libris eſſe deſumtum, & ſcientiam, quæ ad inſtruendam aciem ſpectat, ab Homero originem duxiſſe. Inde hauſerunt armorum diſciplinam Stratocles, Hermias, Frontinus & plures alij, ac cùm multi eam literis iuxta Poetæ præſcriptum mandaſſent, Mathematicam tamen non callentes, ſolus Aelianus in ea excellens, Frontini viri cõſularis ſermonibus inſtigatus, modum & ordinem optimum ex inſtitu- 26.

to Græcorum, æqualibus proportionibus, iuſtisq; intervallis in longum & latum diſponendi militem, poſt Polybium Megalopoliten, ſub Adriano Auguſto prodidit, & artificioſè monſtravit; Cuius liber Græcus de copiis inſtruendis à Franciſco Robertello in ſermonem Latinum converſus & imaginibus illuſtratus, hiſtoriam legentibus magno poteſt eſſe uſui. Phalanx illa quoq; Macedonica, qua Magnus Alexander tam feliciter eſt uſus, ex unico Homeri verſu nata creditur. Ad cuius ſimilitudinem Prætoria Iani Zerorum cohors à regibus Othomannicis eſt inſtituta, quæ ad victorias barbarorum plurimum hactenus attulit momenti. Ac narrat Iohannes Bodinus in Methodo Hiſtor. Selimum Cæſaris Commentarijs in linguam vernaculam translatis ſtudioſè perlectis, eius bellādi arte ita fuiſſe inſtructum, ut brevi magnam Africæ & Aſiæminoris partem cum imperio maiorum coniunxerit. Sic Leges militares à prudentia civili mutuatæ ſunt, etſi maior ſeveritas adhibetur. Ita munitiones urbium & artium ex principiis Geometricis, earundem defenſiones & expugnationes per varias aſtutias, è librorum monumentis accerſitæ ſunt. Ac lunata illa Geometricæ figuræ acies ad hoſtes circumveniēdos aptiſsima, ſæpe Chriſtianis exercitibus, nominatim verò Sebaſtiano Luſitaniæ regi, quadrato ordine Mauros invadēti, Anno 78. fuit exitio. Et valerius Maximus lib. 6. cap. 11. auctor eſt, Lucium Paulum Perſas vincere nō potuiſſe, niſi Gallus Sulpitius Philoſophus metū Romani exercitus prius viciſſet, cùm Luna ſerena nocte ſubitò defeciſſet, eleganter de natura ſiderum cælique ratione diſſerens. Tum ſola arma homines non reddunt amabiles, ſed propter aſperitatē morū, & libidinem dominandi milites odium

incur-

incurrunt univerſi populi. Cum è diverſo]Literæ ad amorem alliciant propter animi manſuetudinem & ſtudium benè merendi de multis. Etiamſi verò Potentia propter adiunctum ſplendorem plus feriat multitudinis oculos, tamen ex deſipientis vulgi ſententia non eſt iudicandum, vanæq; voces populi non ſunt attendendæ. l. decurionum. C. de pœnis, quia literati non ſolùm ſecretorum Principis tranquillis temporibus ſunt conſcij, ſed eundem quoq; ſequuntur in expeditionibus, to. Tit. C. de privil. eor. qui in ſac. palat. famul. libro 12. Quo magis helleboro indigere arbitramur, qui doctos removent à gubernaculis. Videmus enim illiteratos conſulere, ſed parùm ex re, neq; ſalutariter, cùm non didicerint frenare cupiditates & affectus, quibus mens humana turbatur & agitatur, neq; præceptis neceſſarijs ſint inſtructi. Tum & illud in confeſſo eſt, Ex ordine togatorum non paucos, ordines felici manu duxiſſe, hodieq; apud eoſdem facilius inveniri, qui cũ hoſte ferro decertet, quàm ex armata multitudine, qui vices alicuius docti gerat. Ratio autem, cur diverſa ſint ea de re iudicia, videtur in animorum diverſitate ſita eſſe; Aliquid alicui placet, alteri verò diſplicet. Suum cuiq; pulcrum, ut vetus habet Paræmia, cùm tamen facilimus circa rem amatam ſit error, & homines amore nimio ferè decipiantur. Thales interrogatus, quid eſſet difficile, reſpondit, Seipſum noſſe, rurius interrogatus, quid facilè, reſpondit: alios reprehendere.

28.

29.

30.

31.

Ad quintum fundamentum non difficilis eſt reſponſio. Dico ergo finem cuiusq, rei conſiderandum eſſe. DD. in l. acceptam. C. de uſuris, l. ſi ſtipulatus eſſem, & l. inſulam. ff. de verb. oblig. Quod enim Reges & Principes potius arma

32.

ma quam literas fovent & exercent, id primum ex naturali deſidetio regnandi, deinde propter aliquam evidentem utilitatem, ut amplificandi & proferendi fines, fieri videmus. Tum Virtutem intellectivam & Theoreticam Activa excellentiorē eſſe, vel ex hoc patet, quod ad divinitatem primamq; cauſſam propius accedit. Ariſt. 7. Polit. cap. 3. Hinc Lucæ 10. Chriſtus Mariam dixit optimam
33. partem elegiſſe, etſi id apud ſcribentes non adeò ſit expeditum. Felin. in Rubr. de maior. & obedient. nu. 7. Ac Poëtæ Gigantes finxerunt anguipedes, id eſt terrenis inhærentes, & ſapientiæ cœleſtis expertes. Nobilitas autem alicuius rei ſumitur à magis vicino perfectè bono, iuxta Philoſophum. Item anima eſt præſtantior corpore, & in ipſo corpore caput manibus cæteriſq; membris antecellit. Ergo &c. Demum Literæ non addiſcuntur, ut in umbra permaneant, ſed in Solē
34. veluti & pulverem Eccleſiæ & Reip. ſuo loco & tempore deducantur. Text. glos. & DD. in c. niſi cum pridem § verùm, de renunc. Quo ſenſu Cic. 1. de Officijs πςάξιν γνώσει prætulit. Cumq; neceſsitas incidit, Civilis illa facultas tanquam Domina & Regina armis velut inſtrumento executivo ad caſtigandos pravos utitur, ut homines tranquillè beateq; vivant. Ageſilaus olim, cùm de fortitudine & iuſticia quæreretur, Vtra præſtantior eſſet: Nihil, ait, indigemus fortitudine, ſi iuſticiæ omnes inhæreamus. Ab Ariſtotele verùm in problemat. Sect. 27. quæſt. 11. movetur. Qui
35. fiat, quod Fortitudo apud Reſpublicas magis ſit in precio quàm Iuſticia, quæ tamen, cum in ſeſe virtutes omnes contineat & fortitudo Virtus præcipua non ſit, licet in utramq; partem perutilis, meritè debebat antecedere. Cauſſam eſſe dicit bellorum

lorum frequentiam, modò Reſp. offendunt alios,
modò ſe defendere neceſſe habent. Nec ſine
cauſſa Pacis inane nomen eſſe Plato conqueſtus
eſt, & omnibus ætatibus nova bella, novi tumul-
tus oriuntur. Ideo honorant gubernatores, non
quæ ſunt optima, ſed quæ ſibi optima exiſtiment.
Baldus tamen noſter ſecutorum temporum me-
moriam acutiore mentis oculo percenſens, con-
trarium tenuit in col. fin. de pace Conſtantiæ, di-
cens: Communiter magis indigemus Doctori-
bus quàm militibus, quia diuturniora ſunt Pacis
tempora quàm belli. Id cum vetuſtiſsimi guber-
natores haberent exploratum, In populo DEI
Moyſes Synagogas ordinavit, & Ioſaphat rex Iu-
dæ doctos homines in civitates regni miſit. 2.
Paralip. cap. 17. Eſdras etiam Synagogas
poſt reditum ex captivitate Babylonica reſtituit.
Idipſum conſiderans & intelligens Ludovicus
Galliæ Rex, Divi cognomen adeptus, ſcholã Pari-
ſinam à Carolo Magno opera Alcuini & Claudij
Clementis fundatã, diſsipari minimè voluit. Poſt-
quam enim Scholaſtici, ob nonnullos ſuorum pul-
ſatos, ab Angliæ Rege invitati Oxonium magno
numero conceſsiſſent, Ludovicus urbis Regię ci-
ves ad officium, colendosq; Doctores & diſcipu-
los revocavit, non minus decoris liberales artes,
humaniora ſtudia, ſacram diſciplinam, cultum in-
geniorum, quàm arma adferre prædicans, egre-
giamq; conſociationem fore bellicarum rerũ glo-
riã cum divinarum humanarumq; rerum cogniti-
one doctrinaq; coniunctam. Paulus Aemylius de
rebus geſtis Francorum mihi fol. 142. Itaq; di-
cendum quod res eſt, Veram antiquorum Princi-
pum gloriam in eo fuiſſe poſitam, quod ſapientes
homines undiq; gentium conquiſitos penes ſe ha- 36.

105 Google

buerint, illorumque opera & conſilio in gubernãda Rep. fuerint uſi, cumq; ita rationes ſuas instituerent, proſperum imperium habuerunt. Quemadmodum enim in corporis infirmitate præſtantiores adhibentur Medici; ita cum res communis malè habet, quod in ſeditione, rerumq; novatione ſolet accidere, plus valet Sapientis unius conſilium, quàm numeroſus armatorum exercitus. Hinc præclara illa vox Theodoſij Magni: Princeps bonus & laudabilis eſſe deſiderans, penes ſe debet habere viros Sapientes, & Lampridius ait, Marcum Aurelium Imperatorem laudatiſsimum, ſemper domi foriſq;, tam in publico quàm in ſecreto prudentes doctoſq; viros admiſiſſe. Eiuſdem inſignis laus in Suida & Xiphilino ſic recitatur: Erat vere bonus, & nihil aſtutè ſimulatum vel adſcitum habebat, plurimùm verò etiam à doctrina adiuvabatur. Alexander etiam Severus, Lampridio teſte, cum de iure & rebus Imperij erat controverſia, ſolos literatos in conſilium adhibere ſolebat, ſi verò de re militari, præter veteranos milites, literatos quoq; præſertim hiſtoriarum peritos advocabat. Idem Vlpianum Iureconſultum præfectum prætorio, parentem vocat, in l. ex Divi. C. de locat. & cond. Sic Iuſtinianus Imperator Papinianum, nunc prudentiſsimum, nunc acutiſsimi & excelſi ingenij virum nominat. l. cum acutiſsimi, & l. cum virum, C. de fidei com. l. generaliter. §. cum autem. C. de inſtit. & ſubſtit. eiuſq; raro ſine honoris præfatione meminit. Quod autem liberalium artium doctrina ſcientiæ militari ſit neceſſaria, Strabo duobus libris perſecutus eſt, & Polybius libro 9. hiſtoriarum copioſiſsimè & elegantiſsimè comprobavit. Ideoq; Crœſus Anaxarchum Scytham Athenis in Academia degẽtem

tem

tem adſe invitavit, & Ariſtotelem à Philippo Macedone ſummo in precio habitum vulgò notum eſt. Plures è Regibus morti iam vicini liberos & ſucceſſores doctis hominibus commendarunt, eoſdem non ſolùm amicos & patres, ſed optimos theſauros appellantes. E theſauris enim, qui vulgò dicuntur, pericula, fructus verò optimi è prudentum conſortio redundant, ſecuritas & opulentia. Quin & Traianus Neratium Priſcum Iureconſultum ſucceſſorem ſibi in Imperio Romano delegiſſe fertur, ut Spartianus commemorat. Contra Principes vitioſi literatos nullo loco habuerunt, ſemperq́; ſibi laudabile duxerunt, illos extollere, qui magis ipſis eſſent grati, quorumq́; miniſterio ad perficienda ſcelera, & oppreſsiones ſubditorum edendas uterentur. Scimus enim multos favorem ſuperioris inſigni aliquo ſcelere promeritos, Cumq́; modo hic, modo alius præferretur, ſubditi in ſententiam Principis facilè conceſſerunt, metuq́; periculi peſsimos homines ſummis honoribus affecerunt.

Sexto argumento de immortalitate, quam
res bello præclarè geſtæ pariant, per Inverſionem
ſic occurro. Si reſpicimus immortalitatem, fa-
teri cogimur, literis eam potius contineri, iis enim
debetur omnis rei bene ſecùſve geſtæ memoria, 37.
& ſic ipſa ars Imperatoria ſine literis eſt manca
& oblivioni proxima. Ac revera, iuxta Cice-
ronem, tantæ ſunt alicuius Herois virtutes, quan-
tas videri voluerunt, qui eas deſcripſerunt. Et
ut arma obducuntur ærugine, utque ſitu trophæa
conſumuntur; ita literæ cum libris arte Typo-
graphica deſcriptis perdurant ad omnem poſteri-
tatem.

Nulla ætate tua Euripides monumenta peribunt,
ut habetur in eius Epitaphio. Quid autem homini dari maius poteſt, quàm gloria & æternitas? Plinius Secundus in epiſtola ad Cornelium Priſcum. Quis noſset Cæſares, niſi Suetonius extitiſſet? Quis Scipionem, quis Cn. Pompeium tot triumphis celebrem, niſi Cicero Liviusq; fuiſſent eorum laudatores? Nemo militum, ſuorum maiorum noticiam haberet, nemo Ius ſuum, vel privilegia ſui feudi teneret, nulli certa ſuę rei poſſeſsio ſine ſcriptura.

Cæterum animadvertunt viri fortes bellicam gloriam ſine literis cum corpore occidere, & ex hominum memoria labi; ut ergo præcones virtutis haberent, doctos ingenioq; valentes homines alebant & honorificè circumducebant, ut ſcipio Polybium & Enniū, ac Beliſarius Procopio bellorum comite & ſocio conſiliorum eſt uſus. Ipſa etiam monumenta vita functorum procerum & heroum, accuratis & elegantibus inſcriptionibus indigent. Hinc Plinius Secundus lib. 6. Epiſtolarum, indignatur Rufi Virginij viri maximi reliquias ſine nomine & titulo iacere, cuius tamen memoria orbem terrarum pervagetur. Cumq; unius tantùm ſint ætatis, quæ fortiter fiunt, ea quę pro Reip. utilitate ſcribuntur, æterna ſunt, referente Vigetio lib. 2. de re militari. Ideoq; Cato Maior ab antiquitate tantopere commendatus, etſi exercitum Conſul ſæpe duxiſſet, & armis invictus eſſet, plus tamen ſe Reip. profuturum credidit, ſi diſciplinam militarem in literas conferret. Licet verò apud Scythas & alias bellicoſas gentes arma prævaluerint, & Gallica natio ante franciſci primi tempora ita à ſtudijs abhorruerit, ut nobiles illis incumbentes tantum non ignominia notarētur.

tur. Lege etiam Aethiopica veteri, illi reges fi-
ebant, qui ſtatura corporis reliquos vincerent;
Viciſsim tamen apud Aegyptios, Græcos, Indos,
Perſas, Gothos item veteres, Bonfinio rerum 38.
Vngaricarum ſcriptore teſtante, Sapientia ita fu-
it prælata, ut Sacerdotes & Reges e Magis, Gym-
noſophiſtis & Philoſophis ſibi delegerint. Literæ
enim homines deducunt ad DEVM, mores in-
formant, & Remp. conſervant. Spartani, Ly-
curgi lege, non potentibus aut divitibus, ſed pru-
dentia virtuteq; præditis honores exhibebãt. Ho-
die quoq; gẽtes invenias, apud quas literatis con-
dignus habetur honos, quod in regionibus Septẽ-
trionalibus præcipuè videmus obſervari. Vbi
homines propter loci frigiditatem & aëris ſpiſsitu-
dinem magis viribus quàm ingenio præſtant, &
doctrinam ceu rarum quippiam & æthereum ſu-
ſpiciunt, Cùm Auſtrales Aſiatici ceu magis pur-
gatæ mentis arcana naturæ frequentius ſcruten-
tur, & olim etiam reliquis mundi partibus revela-
rint, ſic, ut multum inter locorum naturas interſit,
& regionum temperiem varios mores ſequi dicit
Ariſtot. 7. polit. cap. 7. Et in regnis Indicis ab
Hiſpanis & Luſitanis apertis & inventis hodie
bonæ literæ vigent, ſuntq; Vniverſitates in Me-
tropoli Indiæ Goæ, item in urbe Themiſtana,
Mexicana & Cataiana; nec quiſquam ſine literis
munus aliquod, nedum principatum poteſt ex-
petere. Oſorius lib. 3. de Gloria. Venetijs in
Comitijs Maioribus Doctores cum equitibus au-
ratis, & filijs ac fratribus Ducis prædefuncti, ſupra
ſubſellia reliquæ nobilitatis conſpeximus. Nec
obſtat in publicis congreſsibus & ſanctorum feſti-
vitatibus, Patavij, Bononiæ, & nonnullis alijs lo-
cis ordinem equeſtrem literatos præcedere, id e-

107
Digitized by Google

nim per abuſum quendam introductum fuiſſe referunt Itali, & ſeculo illo militari, invita altera parte, eum locum vi præoccupatum fuiſſe, invitis autem Ius ipſorum nō potuit auferri. Inſtit. de his qui ſunt ſui vel alien. iuris. in fi. præſertim cum abſq; Decreto ſuperioris id fuerit attentatum, c. quæ in Eccleſiarum, extra de conſtitut. Nec de expreſſa eius mente quid conſtet, ideo nec de ea quid præſumendum.

Non obſtabit etiam aliqua præſcriptio, licet enim iura incorporalia, tanto tempore, cuius initij memoria non extat, per patientiam adverſarij præſcribantur. l. fi. C. de præſcript. longi temp. l. corruptionem de uſufr. & l. pen. de ſervit. & aqua. Tamen Iura ſubiectionis à privato præſcribi non poſſunt, bonus textus in l. comperit. C. de præſcript. 30. annorum.

Eſſent ergo quaſi poſsidentes hanc præcedētiam ſemper in mala fide, cū præſertim poſsit doceri multiplex interruptio, c. illud de præſcript. in Sexto, & favorabilius ſit Ius præſcribendi libertatem contra ſervitutem quàm contra l. ſequitur § ult. ff. de uſucap. Etiamſi quoq; in iuribus præſcribendis non ſit neceſſarius titulus, l. ſi quis diu. ff. ſi ſerv. vendic. tamen & tempus nullum currere potuit, ex quo cœpit hæc uſucapio, vi, clam, & contradicente adverſario. l. fi. ff. quemad. ſerv. amitt. In omnibus autem aulis Principum Germanicorū è Togatis vel Iureconſultis unus rerum ſummæ præficitur, militaribus quoq; hominibus imperans.

Idem in Italia, Gallia, Hiſpania & Belgio ſervatur, & cunctis Parlamentis ſeu curiis ſupremis, ubi de capitalib9 vel magnis pecuniarijs cauſis iudicatur.

tur, vel etiam de pace & bello ſtatuitur, inſignes Iuriſperiti præſident.

Cur enim cæteris poſtponantur, quos natura dux optima conſiliorum reliquis anteferre voluit? Sic pater ille vatum Homerus, Vlyſsi & Achilli ſemper Palladem adiunxit, ea nihil aliud eſt, quàm ratio prudensque conſilium. Apud eundem lib 2. Iliad. Agamemnon in ſuo exercitu decem nō Aiaci ſimiles, ſed Neſtores deſiderabat, nihil dubitans, per illos ſe hoſtes poſſe vincere, & Troiam brevi perituram, cuius & Cicero in Catone Maiore mentionem fecit. Plusque in Troiæ defenſione valuiſſe legitur mens Aeneæ, quàm manus Hectoris. Ac imperium Venetum propter excellentiam conſilij Romano videtur fore diuturnius. Hinc eſt quod principes obortis inter ſe controverſijs ante omnia Iure invicem experiuntur, & ſaluberrima Pax in Imperio Germanico promulgata finem pericoloſiſsimis tumultibus attulit. In quam ſententiam Thucydides ſcriptor ſapientiſsimus lib. 1. hiſtor. Archidamum ſic loquentem facit; In eum, qui iure agere & ſatisfacere paratus eſt, nefas eſſe arma ſumere tanquam in iniurium.

Stantibus itaque ſupradictis omnibus, iam non difficile eſſet eruere, utra harum artium, de quibus inſtituimus ſermonem, potior ſit & laudabilior; nec illis & ſimilibus conſideratis aberraret à vero, qui literas primo loco poneret. Verum cum literati ipſi militibus hodie ferè loco cedant, & iuxta CHRISTI præceptum Lucæ 14. & 18. item Pauli Rom. 12. humilitati ſtudeant, ſicque inti- 39

ſuo

ſuo quodam modo renuncient, l. ſi quis in conſcribendo. C. de pactis, nota in c. ſi diligenti, de foro competen. & locum habeat quod vulgo fertur; Quantus quisq; ſibi eſt, alijs quoq; tantus habetur, cùm præſertim pares eſſe potentioribus nõ poſsint. l. nam magiſtratus. ff. de recep. & l. 1. in fi. ff. de alien. iud. mut. cau. fa. l. 1. §. ſed etſi vicinus. ff. aqua & aq. pluv. arcenda, & multitudini cedendum eſſe ſapientes ſuadeant, Nosq; ordinẽ noſtrum equeſtrem militiæ præcipuè deditum, propter defenſionem Patriæ, meritò ſuſpiciamus, eatenus tamen, ut literatos in jure prætento quoq; nolimus eſſe læſos, cuilibet ea de controverſia liberum iudicium permittere, quàm ſine auctoritate in præſentia rem planè definire maluimus. Exiſtimo autem neutram partem alteri de ſe iudi-
40. cium, velut in propria cauſſa, permiſſuram. l. qui iurisdictioni ff. de iurisd. omn. iud. l. penult. ff. de recept. & Tit. C. ne quis in ſua cauſſa iudicet. Ac ſi copiis utrinq; eductis de ſumma rei diſceptandũ eſſet, fortè literati telis adverſariæ partis opprimerentur; Vbi namq; deſinit jus, ibi ſupplet enſis. Bald. in c. 1. de treuga & pace. Sed DEVS nonnunquam victoriam dat per paucos, ut ait Pſalmiſta. Quia Domini eſt bellum, nec in haſta, nec in gladio ſervat prælìantes, 1. Reg. 17. Iure verò ſi agendum, fieri poſſet iudicem litigantis alterutrius amore vel odio, quibus affectibus mortales plerunq; ducuntur, corrumpi, ut remedium recuſationis vel appellationis tanquam à iudice ſuſpecto parti gravatæ competeret, c. poſtrem. extra de appellat. Itaq; Alexandro cuidam nodus hic Gordius videtur eſſe reſervandus, etſi propter viciſsitudinem temporum, & inſtabilitatem rerũ humanarum, ſucceſſores ſuos fortaſsis obligare

quoq;

Digitized by Google

quoq; non poſſet. Semper enim homines accendũtur ad ea ſtudia quæ magis in honore ſunt Plato in 4. de Rep. Hipparchus Piſiſtrati filius ſuo tempore Atheniénſium ſapientiſsimus, cupiens invidiam tyrannidis prudentiæ opinione extinguere bonis literis viroſq; diſciplinæ deditos ſtudiosè coluit, primusq; Homerum Athenas importavit, ut ex Æliano refert Volaterranus lib. 16. Cuius ingenium & eloqentiam admirati juvenes, diſcere quoq; cœperunt, ut diu poſtea honeſtum fuerit Athenis ſtuduiſſe. Vbi enim nulla præmia ſunt alicuius artis, nec ars ipſa viget.

Nero primo Imperij anno publicè declamavit Pompeij Magni & Auguſti Cœſaris exemplo, moxq; magna Oratorum copia profluxit, adeoq; floruit eloquentiæ ſtudium, ut nonnulli ex infima fortuna in ordinem ſenatorium provecti ſint, & ad ſummos honores aſcenderint. Suetonius de claris Rhetor. Carolo V. Roma: Imperatore, omnes aulam ſequentes linguæ Gallicæ ſtudebãt, cum Cœſar ea libenter uteretur, & Gallicè loquẽtes frequentius audiret. Morte immatura nuper interceptus CHRISTIANVS Dux Saxoniç, Princeps magnanimus, ab heroici patris exceſſu Septemviratum conſecutus, militaribus exercitijs unicè delectabatur, ideo vel provectæ ætatis homines, ut ſe gratos illi præberent, labores equeſtres ferre non dubitabant. Ita principum ſtudia plebi exemplo eſſe verè dixit Ariſtoteles lib. 2. Polit. cap. 9. Quia vita principis cenſura eſt perpetua, ut Plinius eleganter ad Traianum, & argutè admodum Claudianus in admonitione ad Honorium. 41.

Componitur orbis
Regis ad exemplum, nec ſic inflectere ſenſus

Humanos edicta valent, ut vita regentum,
Mobile mutatur ſemper cum principe vulgus.

Omne honoratum augetur, inquit Iamblichus, contemtum minuitur, ac perinde res omnes laudantur & appetuntur, ut earum eſt uſus, adeò ut malicia etiam premijs exerceatur. Quæ quidem cauſſa eſſe potuit, cur hæc res hactenus in dubio & incerto permanſerit. In Aulico Caſtillionæi Comitis, qui liber Carolo V. Imperatori fuit in delicijs, & in manibus omnium Italorum verſatur, Comes Palavicinus introducitur, argutijs quibusdam prolatis ita concludens: Credere ſe pro armis olim pronunciatum fuiſſe, Petri Bembi tamen collocutoris iudicium ea de re comiter ſubterfugit. Is autem allegat Alexandrum Magnū, qui Achilli non quidem bellicæ fortitudinis eminentiam, ſed laudem ſuarum præconem Homerum inviderit. Auctor etiam ſequentibus verbis in Aulico vero, cuius illo ſcripto, ut Xenophon in ſua παιδείᾳ, Principis ideam vult effingere, literas & arma coniunctim requirit. Quo pertinet Friderici III. Rom. Imperat. dictum, quod ipſius quoq; filio Maximiliano I. imò & Sigiſmundo Imperatori tribuitur: Vna ſe hora plues equites auratos creare poſſe, per omnem verò vitam nullum Doctorem, id eſt, idoneum hominem ad gubernationem, expeditivum, & laborum politicorum tolerantem, cui quidem magnum ineſt præiudicium contra milites. Et huc benè facit Heliodori apud Dionem Caſsium Nicæum in Adriano Cæſare: Poteſt Cæſar pecuniam & honores tribuere, Rhetorem facere non poteſt. Etiamſi alias verbo ſolo omnia poſsit efficere. l. fin. C. de conſul. l. 1. C. de metrop. lib. 10. adde Felin. in c. cum

adeo

adeo. de reſcript. & cap. ſuper eo, de teſtibus. Quæ pro doctoribus, quos vulgo bullatos & conſiliares nominant, allegare vellem. Quid quod inimtem quandam redolent Literæ civiles, quis enim neget Leges eſſe particulam & radium quendam divinæ mentis? ideo Demoſthenes eas Inventionem & donum Dei appellat, ut habetur in l. 1. ff. de legibus, & veteres Aſtræam non inepte cælo deſcendiſſe tradiderunt, cum omnia humana lex ſuperet & excellat. Hinc Cicero 3. de Legibus, Cum legem dico, à me nihil aliud intelligi volo, quàm imperium, ſine quo nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum genus univerſum ſtare, nec natura rerum omnis, nec ipſe mundus poteſt. In Romanarum rerum ſcriptoribus legitur Romulum urbem Romam conditam & à ſe dedominatã, prius legibus quàm mœnibus muniviſſe, edixit enim, ne quis vallum tranſilieret, quod Remus frater irridens, tranſilivit, & à Fabio Celere raſtro eſt occiſus. Præcellentiam literarum hoc quoq; demonſtrat, quod tàm equeſtri famlia nati, quàm Principes ipſi liberos ſuos iiſdem curant erudiri. Cognitio enim propria eſt hominis, ac natura capiunt animos honeſtæ diſciplinæ. Et ignorantia in magnatibus eſt turpe accidens, nec temere vetuſtas apologum de Mida rege excogitavit, Is cum Panis ruſticos calamos Apollinis lyræ prætuliſſet, auriculis aſini á Deo irato punitus eſt. Ad amoliendam eam turpitudinem multi ſummo loco natitales ſe in literarum ſtudijs præbuerunt, ut editis utilibus ſcriptis vivant in ore gratæ poſteritatis. In quorum numero eſt Otho Epiſcopus Friſingenſis, filius 42.

Digitized by Google

ſancti Leopoldi Auſtriaci, nepos Henrici 4. Imperatoris, qui hiſtoriam ab origine mundi uſq, ad Conradi III. Imperat. exitum perduxit. Ditmarus Epiſcopus Mersburgenſis, Comes Saxo cus, Imperatoriam Othonum familiam cognatione attingens Chronicon ſingulari diligentia conſcripſit, quod paucis abhinc annis poſt aliquot ſeculorũ latebras lucẽ videre cœpit. Hermanus contractus filius Comitis à Veringen Monachus ad S. Gallum, Chronologiam ab exordio mundi uſq; ad ſua tempora, & annum Chriſti 1066. pertexuit. Fridericus Schenck liber Baro in Tautenbergk, cuius maiores patriæ temporibus periculoſiſsimis operam præclariſsimam navarunt, in Iuris noſtri cognitione euſq; progreſſus eſt, ut inter alia ſuper Textũ Iuris Feudalis cõmentarios nõ vulgares fecerit, quod eruditæ nobilitatis exẽplum, ut rarius, ita conſpectius, & præclarius, ac imitatione dignius. Quod conſequitur, plu-

43. res nobiles literatorum munia in aulis invadere, & libenter obire, quos ego tamen, utpote à natura prohibitos arma tractare, non militum, ſed literatorum nomine potius ceſſendos eſſe affirmaverim, Neq; enim locum gregarij militis tuẽtur, ideoq; nec ſimulacris illis belli, puta ludis equeſtribus, ſe miſcent, ſed ea, quam dixi, ratione vitam ſuſtentant, opes acquirunt, & familias conſervant. Quo peiorem illorum faſtum Zaſius eſſe cenſet in orat. incip. apud literatos col. 1. & 2. et in repetit. l. 2. ff. de orig. Iur. col. 75. ut & Paulus de Caſtro in l. 1. in princ. ff. de iuſtic. & iur. qui titulis Scholaſticis ab Imperatoribus veteribus, gravibus de cauſis introductis ornari nolunt, quod tamen paucis annis retro laudi ducebatur. Ac auctoritatem illam reſpondendi de Iure Augu-

ſtus

Digitized by Google

ſtusCœſar primum Iuris conſultis tribuit, ut eſſent digni legũ cuſtodes, quod colligitur ex l. 2. §.fin. ff.de orig. jur.ut & olim, Laertio teſte, ſolenniter deligebantur apud Athenienſes, qui Philoſophorum ſcholis præeſſent, & apud Ebræos non omnes, ſed ſcribæ tantum cathedram Moyſis inſederunt. Reprehenſione quoq; nõ carent, qui gradus olim libenter aſſumtos vel negant, vel, quod in idem redit, occultant, ſed his forte illud Phocylideum, iubens. 44.

καιρῷ λατρεύειν, μηδ' ἀντιπνέειν ἀνέμοισι, patrocinatur. Quaſi verò literæ publico teſtimonio cohoneſtate cum claritate generis iungi, & honeſtè ſimul eſſe non poſsint, ac ſplendorem nobilitatis obſcurent & abolcant. Sed habuerunt & olim Literæ potentes adverſarios, & optima ſemper paucis placuerunt, raroq; fit, ut rebus ſuum precium reddatur. Literas Impertor Licinius virus & peſtem publicam nominabat. Fuit & acerrimus hoſtis ſtudiorum Valerianus, & Neronem à Philoſophia mater avertiſſe legitur, ſine cauſſa ſubinde monens imperaturo contrariam eſſe. Ex recentioribus Ludovicus X I. Galliæ Rex filium Carolum V I I I. literis & artibus liberalibus noluit erudiri, & pater Eberharti Comitis VVirtebergici moriens iuramento conſiliarios fertur adegiſſe, ne filium linguam Latinam diſcere permitterent. Omnibus etiam ætatibus è reliquo hominũ genere ſunt inventi, qui ſcientias dignas eſſe reprehenſione, neq; ex ſe laudem ullam mereri, Sed ex probitate poſſeſsionis mutuari contenderunt, multiſq; fucatis argumẽtis adeo potẽtioribus impoſuerunt, ut monumenta Virorum Clariſsimorum fuerint exuſta, ſimulq; in auctores ſævitum. 45.

Digitized by Google

ſævitum. Quos ſi liberet imitari, eádem operâ militiam ſuprêmasque dignitates coarguere liceret. Si enim ſacras & Ethnicas hiſtorias evolvimus, omnia ferè regna à cœdibus, parricidijs aut alijs ſceleribus ſumſerunt initium. Deinde quæ monſtra turpitudinis & crudelitatis poſt Auguſtum præfuerunt Imperio Romano? quantum libidinis & ſævitiæ apud reliquas gentes, ut magna pars Imperātium ad perniciem generis humani nata videatur? Itaq; parum convenienter Iſocrates oratione ſua Buſiridem tyrannum laudavit, contrà verò Socratem Philoſophum ſanctiſsimum vituperavit, licet ingenij oſtendandi cauſa id ab eo fuiſſe ſuſceptū quoq; ſit credibile. Quāto pluris Alexandri Macedonis gloriæ militaris aliàs cupidiſsimi iudiciū faciendum. Is ergo medio armorū ſtrepitu literis ad Ariſtotelem Præceptorem datis hanc præclaram clauſulam inſerere non dubitavit; Se longè malle rerum cognitione quàm armis excellere. Sic ſpeculum illud regum & principum ſalutarium Alfonſus Arragonius ſanctè affirmabat, ſe malle perdere regna, quæ plurima poſsideret, quàm literas, quas permodicas ſe ſcire dicebat, neſcire. Idem ſe ex literis armorum uſum didiciſſe prædicabat, id eſt, quatenus èis opus eſſet. Leo Imperator, eiusq; filius Conſtantinus, nihil habuerunt antiquius, quam bonas literas ad ſummum provehere. Eorum in Imperio & pietate ſucceſſor Conſtantinus Ducas, eruditos viros mirabiliter coluit, dicere ſolitus: malle ſe eruditione quàm regno nobilitari, ut è Zonara, niſi fallor, retulit Baptiſta Egnatius in Cæſaribus. Iovius autem in elogijs virorum bell. virt. illuſtr. lib. 3. de Matthia Vngariæ rege ſic ſcribit; Neq; enim regē aut ducem abſolutę virtutis & gloriæ famā adipiſci poſſe prædicabat, niſi literarum præſidio muni-

tus, omnis ætatis inſtituta militię, ipſaq; antiquorũ Stratagemata ex hiſtorijs percalleret, quandò ea documenta, quæ magno uſui militiæ forent, ab ignaris literarũ, niſi longiſsimo tempore experiũdo percipi non poſſent, quæ alij ex veterũ exemplis legẽdo facilè cõſequerentur. &c. Ideo multi Principes in puericia ſe ſtudijs non adhibitos fuiſſe, in arduorũ negotiorũ tractatione ſeròſerioq; doluerũt. Nõnulli, inter quos, Auguſtus Dux Saxoniæ, Septemvir illuſtriſsimus, ætate provectiore literas Latinas diſcere non erubuerunt. Literæ enim ſunt fontes omnium bonorum, & nervi atq; artus gubernationis & ornamentorum vitæ civilis, quarum utilitates verbis explicari omnino non poſſunt. Id cum probe intelligeret Carolus IIII. Rom. Imperator, Rex et Philoſophus, licet admodũ barbaro ſeculo viveret, in ſanctionib9 Aureæ Bullæ ſalubriter ordinavit, Principũ Electorũ liberos in puericia lingua Italica & Vãdalica, quib9 præcipuè res in Imperio vẽtilantur, inſtituẽdos eſſe. Legerat nimirũ M. Aureliũ Imperatorẽ filio Cõmodo informatores in diſciplinis adiunxiſſe. Salomõ ætate ſua gloria reges omnes antecellens doctrinã optimã & præſtantiſsimã iudicans à Deo tantũ Sapiẽtiã petebat 3. Reg. 3. Vbi diſertè additur: Et placuit ſermo eius coram Domino, quippe per ſapientiã omnia alia, quæ vulgò putãtur facile amplisſima acquiruntur, & ſine hac maxima dilabũtur Imperia, ideo eius immortales laudes in ipſius libro Sapientiæ, præcipuè cap. 6. decantatæ reperiũtur. Per hanc Reges regnãt, & prudentes iuſta conſtituunt. Item Iuſticia ſtabilitur thronus. Filius autem Salomonis Roboã ſapientiã ſenũ aſpernans, illiq; tyrannica conſilia iuvenum, qui corporis viribus confidunt, nec ratione ducuntur

præ-

Digitized by Google

præferens avito regno excidebat 3. Reg. cap. 12. Quemadmodum & Salmoneus pænas tyrannidis affectatæ luit, ictus fulmine, quod ad ſubditorum terrorem imitabatur acto curru per pontem æneum à ſe fabricatum. Virg. 6. Aen. Vbaldus Feltrius Vrbini Dux ſe fortunas ſuas omnes ſapientia
46. commutaturum teſtatus eſt, cum dixit: ſe ad paupertatem deventurum, ſi Sapientia veneat. Adeo autem res hodie in peius abiere ut deſperatio ferè faciat militem, quemadmodum ponere manus ad arma aliàs quoq; dicitur ultimum refugium. Videmus enim complures nullis honeſtis actionibus aſſuefactos, contra conſcientiam vadere in bellum, rariſsimos autem cum dignitate aliqua magiſtri equitum, capitanei urbici aut præfecti peditum, ne dicam equitis aurati redire, cum interim nobilitent Imperatores plures literatos, ut videlicet virtuti conſpicuæ dignum ſit præmium. l. pro-
47. videndum C. de poſtul. Princeps enim ſupremis bene meritis ad antidora ſe agnoſcit obligatum l. Sed etſi §. conſuluit ff. de petit. hæred. c. 1. de natura feudi. l. Attilius Regulus ff. de donat l. qui plures ff. de adminiſtr. tut. Idq; pertinet ad juſticiam diſtributivam. Conſiſtere autem ſolet illa remuneratio vel in honoribus, vel pecunia, vel rebus ſoli, Ariſt. 5. Ethic. ne labor ſit ſine mercede & fructu. c. caritatem 7. q. 2. §. ne autem in authent. do iudic. collat. 6. Vnde verſus; Cum labor in damno eſt, creſcit mortalis egeſtas. Is etiam cui Deus plurima dedit, & alijs liberaliter dare
48. debet, Novel. de non alienan. aut permut. §. ſinimus ergo Conſtit. 7. Demum nunc ſe res habent, bellando plus amittitur quàm acquiritur, et fortuna in bellis ita ludit, ut conſilia ſaniora raro locum inveniant, nec tamen bis peccare liceat

Eadem

Eadem verò ſors in literatos minus habet iuris, ubicunq; enim terrarum degunt, ſua ſecum portant, & vel in naufragio nihil ſcientiæ doctrinæq; perdunt & amittunt, cum milites ſint in perdendi metu perpetuo. Bald. in l. ſi viva matre. C. de bonis mater. ubi de rege Roberto & regina Iohanna Neapolit. loquitur. Taceo nunc diſſolutionem diſciplinæ militaris, & alia mala eandem conſecuta, cum ſtudia abducant animos ab omni feritate, & cultores ſuos reddant amabiles. Huic rei vel ſolus Beroſus lib. 5. Antiquitatum fidem fecerit, ſcribit enim Satronem Celtarum regem, cum eius populi ferociam aliter compeſcere non poſſet, publica literarum ſtudia inſtituiſſe. Hinc Turcas non tantum propter Europæi cœli clementiam, & commercia cum gentibus Chriſtianis, ſed inprimis propter ſtudia literarum, quibus operam dare cœperunt, tandem fore mitiores exiſtimandum eſt. Numa Pompilius ob animi moderationem iuſticiæq; ſtudium non tantùm cives Romæ dicto audientes habuit, ſed ſacris inſtitutis, rogatisq; legibus in tantam apud omnes vicinos venit exiſtimationem, ut nemo illi bellum intulerit. 49. 50.

Sed audio nonnullos ſic urgentes; Multos ex equeſtri cum primis ordine reperiri, qui utramque artem coniunxerint egregiè. Ergo ſimplices literatos poſtponendos. Quibus ita replicandum, Plures eam laudem aucupari, ſed qui perfectionem talem ſit aſſecutus, inveniri rariſſimè. Imò res tam diverſæ & arduæ, in excellenti gradu ſimul exiſtentes, pro miraculo ſunt habendæ, cum facta heroum, quibusq; virtus, ut il-

le ait, contigit ante diem, humanam conditionem propemodum excedant, ac de virtute heroica videndus Ariſtoteles lib. 7. Ethic. ad Nicomachum cap. 1. Nec refert ab aſſentatoribus eas excellentias quibusdam tribui, Poſsunt, quia poſſe videntur Virg. 5. Aen. Et φιλαυτία communis eſt morbus, nobis blandimur, noſtris moribus favemus, in vitijs & defectibus agnoſcendis Talpis cœciores. Nemo ſeipſum noſcit, cuius præcepti tanta eſt excellentia, ut antiqui id non cuiusquam hominis ingenio, ſed Delphici

11. Dei oraculo adſcripſerint. Natura enim, Platone teſte, homines regulariter ad unam ſolùm producit artem, & feſtinans ad duo diverſa, neutrum benè peragit, l. nemo. C. de aſſeſs. Hinc Iuvenalis Satyra: 7.

Pectora noſtra duas non admittentia curas,

Et vera eſt Græcorum ſententia ὁ πολλὰ πράττων, πολλάκις ἁμαρτάνει. Ergo [illegible]lius eſt pauca agere, quam periculoſe multis in[illegible]creſſe, ut Authent. de tabellionib. circa medium. Xenophon lib. 8. παιδείας graviſsimè inquit: Fieri non poſſe, ut quiſpiam multa faciat, eademq; benè faciat. Ideo plures magiſtratus ab uno geri nō poſſe dixit Philoſophus lib. 2. Politic. cap. 9. ut natura, ſimul flare & ſorbere, negatum eſt. Hinc liquet eum, qui duas cognatas artes, ſibiq; quodammodo reſpondentes, qualis eſt, exempli gratia, pictura & plaſtice, velit exercere, rectè ambabus præeſſe non poſſe.

Quantò minus id in diſciplinis toto genere diverſis & ſeparatis habebit locum. Multi ſimul ſunt boves, ſed pauci ſunt aratores, & Aſinus Cumanus

nus pelli leoninæ incluſus ruditu prodebatur. Si falſa ſigna pro hoſpitijs publicis ſuſpenſa ſæpenumero viatoribus defeſsis imponunt. Itaq; Cicero non male: Multi inſignia virtutis ſine virtute conſequuntur. Et vitia pro virtutibus ſæpe ſe ingerunt, iuxta Divum Gregorium, ita tenacitas pro parſimonia ſe venditat, crudelitas Iuſtitiæ Zelus vult videri. In quam ſententiam verè Ioh. Cryſoſtomus ca. multi, diſt. 40. Multi ſunt Sacerdotes & pauci ſunt ſacerdotes, multi nomine, pauci in opere. Res etenim debent accedere hominibus, & non homo rebus l. iuſtiſſimè. ff. de ædil. edicto. Apud Græcos quidem veteres Pericles, Xenophon & Thucydides, apud Romanos Iulius Cæſar & Lucullus armis & Literis ſimul excelluiſſe feruntur. De Druſo quoque Claudio, qui in Germania perijt, Velleius Paterculus Vol. 2. Hiſtoriæ Roma. ita ſcribit. Incertum eſſe, utrum eius ingenium magis operibus bellicis quàm civilibus artibus ſuffecerit. Scipio Affricanus, eodem Velleio, volumine priore referente, tam elegans liberalium ſtudiorum omniſq; doctrinæ & auctor & admirator fuit, ut Polybium Panætiumq; præcellentis ingenij viros domi militiæq; ſecum habuerit. Neq; enim quiſquam hoc Scipione elegantius intervalla negotiorum otio diſpunxit, ſemperque belli aut pacis ſervijt artibus. Sed hæc omnia de raro contingenti.

Fateamur ergo eos diverſimodè fuiſſe operatos, dummodo à Regula communi, ut Heroicos omnes, qui motu ſingulari ducuntur, eoſdem ſegregemus & excipiamus, 52.

 Iura

Iura.n. adaptantur ad ea quæ frequenter fiunt, nõ quæ rarò l. nam ad ea, ff. de Legib9. Et in obſcuris inſpicitur quod plerunq; fieri ſolet. Paulus in l. in obſcuris ff. de reg. jur.. Non me fugit plures ex noſtris, præſertim recentiores Comites utriusq; Aulæ creatos, ſicut & Hieronymus Butigella equitis & Iureconſulti titulo ſimul utebatur, item Ludovicus Bologninus Bononienſis, cuius, ut & Chriſtophori Lãfranchini de hac ipſa materia extare tractatum Iohannes Nevizanus in Sylva Nuptiali lib. 5. obiter meminit. Quibus in Elencho auctorum Iuris additur Signorolus de Homodæis, citatus etiam à Lancellotto in repeti. l. centurio ff. de vulg. & pupill. Intelligo & Chriſtophorum Longolium comparationem Iuris civilis cũ re militari inſtituiſſe; nullum tamen ex his mihi nunc ultra decennium ruri nullo publico vel meo commodo hærenti videre contigit. At communiter loquendo, ſine perpetuo exercitio, cui in hac effœta mundi ſenecta abſolvendo vita hominis vix videtur ſufficere, perfectus miles, id eſt, Capitaneus quiſpiam tractans arma, & excellens togatus, hoc eſt, ad Reip. gubernacula quidam ſedens, (in terminis enim ſcientiæ & experientiæ loquimur) ſimul in eodem Individuo non poſſunt eſſe. Perfectus autem eſt, cui nihil deeſt, Philoſophus lib. 3. Phyſic. & lib. 1. de Cœlo & Mundo. Si qui tamẽ hanc heroicã præſtantiã indulgentia divina ante hac ſunt adepti, ut apud Gallos erat Franciſci I. ætate Antonius de Prato Magnus regni cancellarius, cuius opera Helvetij prælio memorabili profligati; ut etiam Matthæus Cardinalis Sedunenſis, qui paulo ante, exercitum Ludovici XII. in Italia devicerat; Qualis & apud Polonos hodie

die videtur eſſe, vel poſt obitum futurus Iohannes Zamoſcius Archicancellarius, nec non copiarum Dux ſupremus, qui rerum geſtarum fama 53.
Septentrionem complevit: Aut ſi in poſterum quidam duplici hac dignitate præfulgebunt, & bene de patria merebuntur, æquitate ſuadente extra ordinem celſiori quoque loco collocandi ſunt gloſ. in §. aliam Inſtit. de bonor. poſſeſs. c. epiſcopus 95. diſtinct. Bald. in l. Sed & milites ff. de excuſat. tutor. Innocent. in c. ſtatuemus de maior. & obed. Deci. conſil. 161. & dona hæc divinitus in illis copulata, à reliquis magnifieri debent haud immeritò. Quemadmodum olim Perſeum Iovis filium bellis in Mauritania rara felicitate cõfectis, & regno Argivorum occupato ferunt ad extremum ludum literarium in Helicone conſtituiſſe, & ſapientiæ ſtudijs claruiſſe, ob quam celebritatem à Poëtis & Mathematicis in cœlum ſit evectus, & inter ſidera collocatus, id eſt, æternam famam conſecutus. Nec aliud caput Meduſæ Gorgonis à Perſeo interfectæ, quod intuentes homines in ſaxa, id eſt, admirationem uſq; ad ſtuporem vertebantur, Poëtis eſſe videtur. Vide Ovid. lib. 4. Metamorphoſ. quò ſequens Tetraſtichon auctoris incerti pertinet.

Litera & arma, quibus ſapientia, palmaq; victrix
Quæritur, hæc duo ſunt inclyta præcipuè;
Quorum homines rapit admiratio tanta, ſtupore
Defixos, ut eos ſaxo quis eſſe putet.

Hac ergo obiectione refutata pro literis tanto magis videtur eſſe pronunciandum. Melior enim eſt Sapientia, quam ſunt arma bellica. 54.
Eccleſ. 9. Rationem quoque videtur afferre Iohan.

115

han. Fabri in Proœmio Inſtit. quia milites non ſunt niſi executores præceptorum Sapientum, & ideo Lex dicit, milites noſtros oportet eſſe defenſores, non Dominos l. ab hoſtibus in fi. ff. de capt. De facto tamen idem Faber fieri contrarium conqueritur, quo fortaſſe motus Belliſarius Aquivivus Neritinorum Dux in epiſtola ad Galateum libro de ſingulari certamine, præfixa, literis arma prætulit.

Quanta verò non ſolum adiumenta ad Imperij ſplendorem & Orthodoxæ fidei propagationem, ſed ornamenta quoq; ex literis redundarint, breviter explicari nequit. Tu vide diſtinct. 37. & 38. Sanè Veritas & certitudo doctrinæ Chriſtianæ literis aperitur & confirmatur, ac ſine illis patefactionum & promiſsionum divinarum ſeries eſſet in obſcuro, præcipuè verò adventus Chriſti liberatoris in carnem, & reditus ad extremum iudicium quod æterna piorum felicitas & gloria certò conſequetur.

Ideo Chriſtus iubet ſcrutari ſcripturas Math. 28. Neq; ſufficit σύνεσις vel cognitio ſola doctrinarum, niſi adiungatur δύναμις ἑρμηνευτική, id eſt, elocutio, dicendiq; facultas & artificium. Ideo Deo gratiæ ſunt agendæ, quod in tantis Imperiorum ruinis honeſtas literas omnis generis hactenus ad humanã ſalutem benignè conſervant. Valerius Maximus literas extollens in hanc vocem prorumpit. lib. 3. cap. 3. Eſt & alia vehemens & conſtans militia, literis pollens, venerabilium doctrinæ ſacrorum Antiſtes Philoſophia. Etſi verò propter varia præiudicia noſtrum non eſt, in re tam ardua certi quid definire. Sic tamen interim

terim

Digitized by Google

terim tripliciter diſtiguendo concludendum arbitror, Contrarietates enim diſtinctione concordantur. Specul. §. 2. 3. & 4. Tit. de allegat & diſputat. Salic. in l. filius cum pater, verſic. expeditis. C. famil. herciſc. Et Socrates in Phædro Platonis affirmabat, Si nactus fuiſſet ducem, qui recte ſciret diſtinguere, ſe ipſius tanquam Dei veſtigia ſecuturum. 15.

Prior diſtinctio eſt, attendam eſſe Conſuetudinem cuiuſque loci, & iuxta hanc milites aut literati præferendi ſunt, & ſic mos regionis inſpiciendus l. 1. §. quod autem ff. de ventr. inſpic. Conſuetudinis enim uſusque longævi non vilis eſt auctoritas c. fruſtra, & cap. ſeq. diſtinct. 8. quia iuri quandoq; præiudicat, maxime ſi ſit præſcripta. c. ult. ext. de conſuetud. & obtinuerit in judicio contradictorio. l. 1. & l. cum de conſuetudine ff. de legibus, potiſſimum vero in actibus extraiudicialibus, Angelus §. ex non ſcripto. col. 3. Inſtit. de jur nat. gent. & civ. imo & indifferenter, ut voluit Alexander in l. quædam §. nũmularios ff. de eden, Vivius lib. Commun. opin. verbo, conſuetudo, nu. 2. & 3. Item ſi diuturni mores eo animo conſenſu publico ſerventur, ut utentes firmiter credant, ſibi tale Ius competere. l. 1. §. Iulianus recte ait. ff. de it. actuq; priv.

Tumq; deficiente lege iudex ſecundum conſuetudinem introductam bene pronunciat, ca. 5. 16.
diſtinct. 1. Bald. in l. adverſus C. ſi advers. rem iudica. Alex. de Imola in l. ſolet ff. de iudic. Quia conſuetudo eſt optima legum interpres. l. ſi de interpretatione. ff. de Legibus, & l. de quibus eod. Hinc

Digitized by Google

Hinc Baldus ait in l. obſervare §. antequam, ff. de officio procons. & lega. Minores in Thuſcia vadunt ante Prædicatores, quia ita eſt conſuetum.

Etiamſi quoq; conſuetudo contineat aliquam iniquitatem, tamē pro ratione habetur ſecundum Bald. in l. non omnium in princ. ff. de legibus ſa. l. proſpexit, ff. qui & à quib. manum. liberi non fiant. Tiraq: in Tractatu de Vtr. Retractu nu. 75. Conſuetudo verò illa eſt facti. Tex. in ca. 1. de Conſtit. in Sexto, & facta non præſumuntur, Tex. in l. in bello §. factæ, ff. de cap. & poſtl. rever. Decius in l. quatenus nu. 2. ff. de reg. Iuris. Ideo allegari & probari debet. Fallit tamen in generali & notoria conſuetudine, quæ probatione non indiget. Bald. in l. ſi fugitivi, nu. 3. C. de ſer. fugit. Ideo Iudex in tali notoria cōſuetudine ſupplere poteſt, Bald. in l. Iulia. ff. de teſtibus nu. 3. per illum textum c. venientes, de jure jur. ibi. ſecundum conſuetudinem veſtræ civitatis, & text. in §. iusjurandum, in Authent. de defenſor. civitat. Altera diſtinctio à tempore petenda eſt. Modò enim ſtudia cum Profeſſoribus artium, nunc militares homines, pro temporum neceſsitate videlicet, evehuntur. Hūc quadrat illud vulgare. Diſtingue tempora, & concordabit ſcriptura. c. ſi pecca-
57. verit. 2. q. 1. l. apud antiquos C. de furtis. Semper tamen arma firmiora ſunt adiuta ratione & conſilio. Hinc peritos melioris eſſe conditionis oportet quàm alios l. 4. ff. quod vi aut clam. Tertiò diligenter conſiderandi ſunt actus. Doctor enim in actu Doctoribus congruente ſine du-
58. bio militi præfertur, ut miles in actibus militaribus Doctori. Ita concludit Alexander in l. centurio. nu. 24. ff. de vulg. & pupill. quod prolixè ibi per

perſequitur, & ad hoc eſt Tex. in l. 1. C. de offic. vicar. Adde Iaſon. in l. ſi quis in cōſcribendo nu. 4. C. de pactis, ubi per illum textum probat, Doctorem militi præferendum, Angel. in procem. Inſtit. nu. 2. & §. fin. nu. 6. Inſtit. de milit. teſtam. Quo pertinet, quod ſcribit Gellius lib. 2. Noct. Attic. cap. 2. de filio Magiſtratum gerente & patre privato, qualis debeat inter eos eſſe officiorum ratio. Pater in publicis celebritatibus debet honorare filium conſtitutum in officio publico, ſecus intra privatos parietes, in congreſsibus familiaribus, ubi naturalis honor præfertur. Sed in actu promiſcuo vel indifferenti Doctor militem præcedit, de quo vide l. in civilibus. C. de offic. vicar. Alciat. lib. 2. Paradox. cap. 12. l. fin. C. de teſtam. milit. item Bartol. in procemio ff. in fi. & gloſ. cum Baldo in l. quod conſtitutum ff. de teſtam. milit. quia ſimplex militia non eſt dignitas l. ſi. C. qui milita. non poſsunt. lib. 12. textus & gloſ. in l. unica C. de equeſtr. dignit. lib. eodem. Bart. in l. ex eo tempore ff. de teſtam. milit. Etſi autem Bald. in procemio ff. in ult. quæſtione dicat Bononiæ egregios Doctores propter eorum virtutem præcedere milites quoscunq; per l. ſed & reprobari §. 1. verſ. valde tamen diſciplinati ff. de excuſat. tut. Fallit tamen in milite habente dignitatem, & qui ad latus Principis militat, is enim præfertur Doctori ſimplici, Angelus in l. in teſtamento C. de milit. teſtam. & pro hoc eſt textus in l. 1. C. de præpon. lib. lib. 12. ibi, quos noſtri lateris decus illuſtrat. Vide etiam Paulū de Caſtro in l. unica C. de Iuſtinianæo Cod. cōfir. reſtringētem dictum Baldi, ab ordine literæ vel ſcripturæ ibi ſimpliciter arguentis, Aliqui dixerunt item 59.

H fallere

Google

fallere in Doctorellis vel Doctoribus qui pauci ſciunt, quos milites antecedere debeant Bald. vir accerrimi iudicij, in proœm. ff. Etſi alibi, ut conſil. 477. col. 3. vol 4. Bartolum præceptorem ſuum temere Doctorellum quoq; nominat, ob quod non immeritò contriſtatur & excandeſcit M. Mantua. Bonavidius præceptor meus lib. 5. Polymathiæ cap. 5. Accurſius tamen in gloſ. l. ad egregias ff. de iureiur. ut & alij, non admiſit eam limitationem. Sufficit enim quod in ſtudio probato poſt annos legitimos fuerint examinati & ibidem titulos aſſumſerint. Modern. in d. l. centurio, ff. de vulgar. & pupill. Et in dubio Doctor ſemper cenſetur eſſe peritus & idoneus. Scias etiam Doctorem Iuris Canonici vel decretorum præponi doctori Iuris civilis nota. in c. clerici, extra, de iudic. item Theologiæ Doctorem Canoniſtæ. Quomodo id habeat locum, & quod inter Doctoratos uno & eodem die primus vel antiquior præcedat, vide Legiſtas in l. cum quid ff. ſi certũ petat. & Bart. in l. 1. ff. de obſeq. patro. præſtan. & Alex. in addit. ibidem quærentem, ſi filius Doctor ſit & Pater non, quis eorum præcedat. Nota quoq; nobilem Doctorem præferri ignobili, Bald. in l. nemini C. de advoca. divers. iudic. Barbatia in c. ad aures, col. 4. extra, de reſcript. & duplicatam habere dignitatem, qui in utroq; iure Doctor eſt. Barthol. Bologn. in auth. habita, nu. 139. Etſi verò multa maiorum inſtituta, venerint in deſuetudinem, ultra tamen prædicta pro documento veteris prælationis à Doctoribus utiliter al-
60. legari poteſt, ipſos Principes eos vocare Dominos, & quidem numero plurali, cum nobiles om-

nes

nes ſimpliciter & numero ſingulari compellent. Pro Doctoribus & hoc facit, eos ab Imperatore Maxiliano I. in Receſſu Comitiorum Anni 1500 tàm nobilibus quàm equitibus auratis præponi.

Quod in editione ſimilium ſanctionum ante ea tempora quoq; videtur uſitatum fuiſſe, ut cernere eſt in Conſtitutionibus Alberti Cœſaris poſt Lehnrecht Saxon. ubi ait Imperator, ſe de procerum ſapientiſsimorum & cæterorum ſuorum fidelium conſilio leges eas promulgaſſe. Viciſsim tamen Nobiles quod ad hoc opponant, habent. Stylo enim in Cancellarijs uſitato, cum nobili & Doctori ſimul ſcribitur, nobiles hodie primo nominantur, nullo habitu reſpectu ætatis aut officij. Etſi epiſtolis alias nemini ius ſuum poſsit auferri, l. non nudis C. de probat. c. ſi pacta, de privileg. in Sexto, & hic ſtylus cum tempore mutari queat, & rurſus aboleri, arg. l. 2. §. cum in eadem ff. ad l. Rhod. de iactu, Licet verò tam citò non contingeret, tamen lapſu temporis non confirmaretur, quod ab initio non valuit, l. per fundũ, ubi gloſs. Et Bartol in verbo, uno ff. de ſervit. ruſtic. præd. Faciunt quæ ſcribit Ancharanus cõſil. 297. nu. 1. & 7. quod Regulæ Cancellariæ non dicantur conſtitutiones generales, nec arctent gratias ſucceſſorum, ut notatur quoq; in c. 1. extra, de Conſtit. In ſubſcriptionibus inſtrumentorum tranſactionis, Venditionis, pactorum dotalium, & aliorum Contractuum de conſuetudine nobiles quoq; præponuntur, niſi literati ſimiliter nobili proſapia ſint oriundi. Ita in Receſſu Comitiorum Anni 30. & annexa Reformatione, item in ordinatione Cameræ Anno 55. reviſa, nobiles primo loco poſiti reperiuntur. 61.

Digitized by Google

Verum cum ibidem, ut & alijs citatis locis, ſparſim de civibus & ruſticis quoq; tractetur, apparet Imperatori Carolo, & ipſius prædeceſſoribus hac de controverſia ijs locis nihil in mētem veniſſe; cauſa quoq; non fuit cognita ſervato iuris ordine, ſicut nec pars citata, c. quæ in eccleſiarum, extra de Conſtitut. l. nam ita Divus ff. de adopt. & c. 1. de cauſ. poſſeſs. ubi dicitur, contra inauditā partem nihil poſſumus definire fac. l. fi. C. ſi per vim vel alio modo. Et ordo præpoſterus eſt incipere ab executione. l. nimis properè C. de execut. rei iudica. Item odia non debent extendi, ſed potius reſtringi. l. cum quidam ff. de liber. & poſthum, cum ſimilibus.
62. Ideo ordo ſcripturæ hic non attendendus, cum diſpoſitionem talem non inducat, iuxta textum optimum in l. nec enim ff. de ſolut. ubi ſunt hæc verba; Nec enim ordo ſcripturæ ſpectatur; ſed potius ex eo ſumitur, quod agi videtur, Et quod ordo intellectus magis debeat inſpici quàm verborum, tenuit Bald. in l. 1. 4. oppoſit. C. de his quæ pœnæ nomine, & in l. fin. C. de hæred. inſtit. Socinus conſilio 227. incip. præſens conſultatio, verſic. quarto confirmatur in fi. 2. parte. Quo pertinet illis temporibus præcipuè Anno 30. quoq; proviſum, ordinem Seſsionis & ſubſcriptionis nemini ex ſtatibus debere præiudicare. Aliàs rectè locum potuiſſet habere illud; prius eſſe in intellectu, quod prius eſt in voce. l. ſi communis ſervus ita in fi. ff. de ſtipulat. ſerv. c. quoniam abbas, cum ibi notatis de offic. delega. Et eſſe digniorem, qui prius nominatur, notat. in c. fin. de offic. deleg. in Sexto, fa. l. Claudius ff. qui potior. in pign. maximè verò in dubio, ut Bartolus cenſuit in l. 2. §. prius ff. de vulg. & pupill.

per l. quoties ff. de uſufructu. Poſſent & Nobi-
les excipere, eos Receſſus à meris literatis, qui-
bus fermè id muneris incumbit, eſſe confectos, e-
aque verba Dominis Imperatoribus in favorem
ſui ordinis eſſe obtruſa, iam alteri per alterum nõ
debet inferri iniqua co[illegible] l. non debet ff. de
reg. Iuris. Quid in Imperatoriæ Maieſtatis aula, 63.
& apud Camerales [illegible]e Spiræ ſit in uſu pro cer-
to non habeo compertum. In cœterorum verò
principum Curijs nobiles & Doctores ita viden-
tur incedere prout in Conſiliũ ſunt allecti, modò
bini, modo terni, & tũc quidẽ natu maior ambulat
in medio; qui locus honoratior eſſe iudicatur, etiã
apud cives & equites ipſos, imò & apud reliquos
magnates in univerſum, cum pompa ſolenni civi-
tates ingrediuntur. Quodq; prioritas temporis
in ſimili fuerit olim conſiderata, docet Epitome
Chronicorum ante ius muncipale Saxonicum,
vulgo Weichbilt ſub Othone primo, qui cœnobi-
um Bergenſe primum fundavit, ideoq; Monachi
eius loci ſupra Canonicos poſtea ordinatos in
magnis feſtivitatibus ibi dicuntur in choro ſtetiſ-
ſe. Si verò princeps quempiam ex Conſiliarijs
favore ſingulari complectitur, ubivis à Collegis,
qui tacitè tamen ſimul invident, continuò plus
honoratur, iuxta illud Martialis:

Nemo ſuos, hæc eſt aulæ natura potentis,
Sed mores Domini Cæſarianus habet.

Sic ut præceſsio quodãmodo ſita ſit in volun-
tate Principis, quæ inter caſus fortuitos refertur. 64.
Socin. in l. quidam nu. 3 ff. de reb. dub. Cravet-
ta conſil. 95. nu. 1. idẽ ordo in pompis & convivijs 65.

113
Digitized by Google

nuptialibus obſervatur. In actionibus verò pub-
licis magnis, utpote quando habentur Comitia,
cum præſtatur fidelitas vel Homagium Domino
principatum auſpicanti, ſolenne eſt nobiles im-
mediatè præcedere & ſequi perſonam Principis,
ac licet eius nomine Cancellarius verba faciat,
& alius res ad deliberandum ſtatibus proponat,
tamen in principio & fine actus comitatus agmen
claudit, cum tamen Cancellarius alioquin ſigil-
lum Ducale, ut & Secretarius in cauſis peculiari-
bus alterum, cuſtodiat, & claves curiæ veſtibuli,
quo Senatus habetur, teneat, itaq; in nobiles
Conſiliarios curam & Iurisdictionem ſuam exer-
ceat, ut abſq; eius licentia conſilio abeſſe, urbe e-
gredi, & in prædium ſuum militare proficiſci non
audeant. In funerum Ducalium deductione item
vidimus obſervari, niſi forte Doctor aliquis lega-
ti munus obiret, tunc enim vel principibus, im-
miſcentur literati, ut honorantur quoq; vicarij,
locum tenentes, & delegati. ca. præcipimus. 93.
diſtinct. ſocij tamen vel his adiuncti nobiles ſem-
per antegrediuntur, ut & in omnibus alijs legatio-
66. nibus. Solent & equites, cum Doctorum patroci-
nio vocisq; glorioſæ munimine utuntur, eis ho-
norem ſingularem deferre, & ſi quos agnatione
vel affinitate ſe attingentes conveniant, tam in
honorem ſanguinis l. 1. §. largius ff. de ſucceſs. e-
dicto, quàm doctrinæ, illis privatim & publicè lo-
co libenter cedere. Et maioris eſt dignitatis filio
Baronis vel Comitis, quod vocetur Doctor, qui
propria virtute pollet, quã Dominus, faciunt quæ
adfert Iaſon in l. moræ, in 2. notab. ff. de iurisd. o-
mn. iudic. Cur enim quis laudes ſuas abnuat? cum
proprias cantare laudes vituperabile nõ ſit, ſi ſint
notoriæ

Digitized by Google

notoriæ. Plat. in uni. in l. fi. C. de profeſs. qui in urbe Cōſtant. lib. 12. Ac cū utraq; militia parem mereatur honorē, per ea quæ dicenda ſunt infra, deberent tamē mariti literati præcedere nobiles cælibes, quia per nuptias quis cōſequitur dignitatem magnam, ut dicit Textus in Auth. de Nupt. §. deinceps. Idē procederet in ſponſo, de præſenti pro uxore habetur, nō tantū inquit per verba de præſenti cū puella contra dixit quēadmodū & ſponſa favorabilibus, ſed & quandoq; in odioſa & pœnali materia, ut in l. ſi uxor, §. Divus. ff. de adult. & in l. cúm fuerit ff. de condit. & demonſt, quia nuptias nō cōcubitus, ſed conſenſus faciat, vulg. l. nuptias, ff. de reg. jur. Servatur autem æqualitas in ſponſo & ſponſa arg. l. ſi cum dies §. penult. ff. de arbitr. & l. fin. de indict. vidu. tollenda, Salic. in l. ſi is qui nu. 2. C. de ſponſal. Advertendum eſt etiā, liberos habētes honorabiliores eſſe: Textus eſt in l. in albo C. de decurion. lib. 10. quæ maioritas quoq; conſiſtit in ordine ſedendi, ut voluit Petrus Ravennas in Compendio Iuris in dictis Notab. de iudic. fol. 99. Item in conſequendis honoribꝰ, Iohan. Sanxon. in Conſuetud. Turonens. fol. 195. Meritò & hoſpitibꝰ peculiares honores tribuuntur. Licet .n. advenæ & peregrini, qui videlicet ſunt extra patriā, Auth. ut differ. iud. in princ. Bart. in l. cives ad fin. C. de incolis lib. 10. ligentur conſuetudine loci, ſingulariter tamen honorandi ſunt, & his vivis hoſpitium denegari nō poteſt, auth. omnes, & ibi Bald. in princ. C. communia de ſucceſs. mortui verò in Eccleſia cathedrali ſepeliendi ſūt, c. eccleſias. 13. q. 5. Limita tamē, ſi honeſtè domo abſint, §. fin. Inſtit. de hæred. inſtit, c. ſuper conſultationibꝰ, ext. de offic. delegati,

67.

68.

Depor-

Deportati verò & relegati l. 1. C. de hæred. inſtit. in inſula vel locis aſsignatis manere debent, ne pæna illis augeatur l. relegati ff. de bonis. Fallit amplius in vagabundis, qui & beneficijs privari queunt, gloſ. ſingularis & alibi non reperta in ca. non oportet, ſecundò. De conſecrat. diſtinct. ult. & in c. ex tua, extra de cler. non reſiden. celebris textus in l. quod niſi §. ex provincia ff. de oper. libert. ubi libertus non tenetur ſequi patronū vagabundum ad operas præſtandas. Variæ omninò ſunt opiniones, cui ſint honores deferendi, Potentes & divitijs abundantes eos ſibi vindicāt, Populares benignè & humaniter erga ſe gerentibus eoſdem decernunt, ambo ſanè proprijs utilitatibus rem metientes. Homines autem ſapientia civili præditi, virtutem pro Rep. conſtanter exercentibus honores deberi ſtatuunt. Penes quos igitur eſt honoris collatio, ultimo ut magis approbato conſilio parebunt. Iſocrates ad principes Mytilenæos ſcribens, eruditis proximum ab eis honoris gradum tribuendum eſſe ſuadet. Sed ut ut ſit, negari non poteſt, ordinem militarem latiſsimè patere, comprehendit enim Comites, Marchiones, & Duces ipſos, de quibus tra-
69. ctatur in c. 1. Quis dicatur Dux. Imo ipſum Imperatorē, qui nobiliſsimus eſt omnium, & primus in clypeo militari, an dem Heerſchild/hunc q; ſequuntur ſuperilluſtres, id eſt Electores, & Illuſtres Duces videlicet, & reliqui, uſq; ad numerum ſeptenarium, quo clypeus ille terminatur. Art. 3. lib. 1. Landrecht. Crebrior eſt enim opinio Imperatorem facere gradum, etiamſi alij contrarium dixerint. Quo minus certa aliqua Regula circa hanc præeminentiam dari poteſt, multum enim quotidiè

variatur,

variatur, ratione ætatis, officij, favoris, gradus, loci, temporis, actus, conſuetudinis, voluntatis, humanitatis vel urbanitatis, quæ tamen præiudicium Doctoribus adferre non deberet. l. ſervus communis §. qui verò ff. de furt. DD. in l. ſi certis annis C. de pactis, idq; propter utilitatem publicam, cuius favore gradus & ordines ſunt introducti, to. Tit. C. ut dignitat. ord. ſerv. lib. 12. l. ius publicum, de pactis, l. 2. §. ſed quia veremur, C. de iuram. cal. l. honor §. gerendorum ff. de muner. & honor. Ideoq; ad conſuetudinem notoriam & reliquas diſtinctiones ſupra recurrere neceſſe habuimus. Speculator de reſcript. præſentat. §. 9. in princ. ad Quæſtionem, quæ perſonæ ſint digniores, eodem modo reſpondet, non dari poſſe certam doctrinam, & iudicem æſtimare debere ex circumſtantijs perſonarum in reſcripto contentarum, ſive ſint in dignitatibus, ſive privatæ, maiores autem ſunt in primo gradu, minores in ſecundo, ut 10. q. 1. & l. penult. ff. ad l. Corneliam de ſicar. item æſtimet Iudex, potentiam, divitias, nobilitatem, honores. c. ſuper eo, extra de Teſtibus. Chasſanæus in Conſuet. Burgund. Rubr. 6. verſ. entre gens nobles n. 2. ſuadet, orto certamine inter nobiles de præeminentia, inſpiciendam eſſe genealogiam, conſuetudine loci, & famam, præcipuè verò conſuetudinem ſedendi ait non debere præpoſterari. Nobilior etiam poteſt agere, ut alter, qui quidem ſit ditior, poſt eum ſedeat. Iohan. Faber in §. aliam Inſtit. de bonorum poſſ. DD. in l. 1. C. ut dignit. ordo ſerv. lib. 12. unde verſus:

Tali ſede ſede, ne dicam, ſurge, recede.

ca. ſicut. 50. diſtinct. Licet autem Faber, in d. §. aliam, actionem iniuriarum eo caſu competere neget, per l. iniuriarum actio §. ſi quis in honoribus ff. de iureiur. Bald. tamen in l. obſervare §. antequam ff. de offic. proconſ. contra ſenſit, imò plus dixit, licere nimirum de facto vi armata reſiſtere, quia nemo tenetur pati iniuriam vel parvipenſionem ſui honoris, maximè ſi ſit in quaſi poſſeſsione, ratione conſuetudinis exiſtentis in loco. Vbi verò non eſt Conſuetudo, vult ibidem Baldus ſuperiorem debere aſsignare loca ſecundum qualitatem perſonarum. Plurimi mirantur homines interdū nihil tale cogitantes inclareſcere, ut reliqui, maiores licet illi ſint, eos certatim revereantur, vbi verò potentiſsimi & ſecuriſsimi videntur eſſe, eoſdem velut aliam faciem ſumentes, rurſus gradu deijci, & honore priſtino ſpoliari. Quò ſpectant verſus:

Gloria, ſi fugias, Crocodili more ſequetur,
Si profugam ſequeris, longius acta fugit.

Nonnulli ex aſtrorū influxu, fatiq; neceſsitate & fortunæ ludētis arbitrio crediderūt evenire. Nos providentiæ divinæ 1. Petri. 1. & præſentiæ in genere humano debemus adſcribere τιμὴ δ᾽ ἐκ διὸς ἐςὶ, & Pſalmo 113. dicitur. Erigens de ſtercore pauperem, ut collocet eum cum principibus populi ſui. Viciſsim ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα, & graviter delinquē-
70. tibus iraſcitur, ideoq; pro iuſtitia ſua pœnas iniuſtè præſidentibus infligit, & potentes deponit de ſede. Daniel 5. ut fatetur quoq; Maria mater Domini

Domini Lucæ 1. ὀξὺς ἐστὶ δ' ὀφθαλμὸς εἰς τὸ πᾶν ὁρῶν, Cui conſentit apophthegma Chilonis Lacedæmonijs, is interrogatus quid Iuppiter faceret, reſpondit: Excelſa humiliat, & humilia extollit. Sicut è diverſo non dubitamus aliquos ad Remp. præclarè inſtitutos, & à principibus ſæpius expetitos, ideo vitam ingloriam ducere, quòd aliud vitæ genus ingredi miſericordis DEI voluntate prohibeantur, quia

Neſcia mens hominum fati ſortisq; futura,

factor autem noſter & cordium ſcrutator ſolus novit quid humeri valeant, quid ferre recuſent, & omnium optimè pericula ſublimiores gradus aſcendentibus impendentia prævidet, eaq; clementer avertit. Quemadmodum ſæpe pios evocat è vita ante urbium deſolationes & excidia, & ſic iuxta Gerſonem, plures ſunt gratiæ DEI privativæ quàm poſitivæ.

Vt autem ad id, unde pauliſper degreſsi ſumus, redeatur, exiſtimo in propoſito noſtro publicos & ſolennes actus præcipuè conſiderandos & attentẽdos eſſe, velut inter Imperij Principes in albo deſcriptos, lege certa ceſſante, dignitates in ſeſsionibus ſtatuum, tempore Comitiorum Imperialium, eo ordine ſpectantur, quo quisque eorum maximo honore antea publicè functus eſt, per tertum in l. 1. & 2. ff. de albo ſcribend. & l. reſcripto in princ. ff. de muner. & honor. 71.

72.

Digniores itaq; hoc caſu erunt principaliores, & altiori ſede locari debent. Infero ergo in hac noſtra lite idem ſequendum, ſalvo tamen rectius ſentientium iudicio. l. Claudius ff. qui potior. in pign. Non prætermittendū puto, quoſdā principes ne quempiā ex contendētibus de loco, offendant, formam Sphæricam uſurpare, & iuxta hanc
73. Legatos Principum in Conventibus menſa rotunda collocare, ne poſsit agnoſci, quis eorum pro digniore habeatur. Ad quod vide apud Everhardum in Topicis Legalibus, loco, Ab ordine, bellum iocum de Vrbano Papa & fratribus Minoribus, Poſt Felinum in c. cum dilecta, nu. 4. de reſcript. in ſexto, & Angelum per eum relatum in l. generaliter §. ſi quidem ff. de fidei. comm. libert.

Ac Pius IIII. noſtra memoria Pontifex Romanus, exortis inter Patres & Cardinales ad Concilium Tridentinum congregatos, ſuper eorum Præcedentia gravibus controverſijs, per Breve Papale cuiq; locum aſsignavit, ita quidem, ut primo Patriarchas, ſecundo Archi Epiſcopos, tertio autem loco Epiſcopos, in quibusvis actibus publicis, ſecundum gradum & ordinem promotionum ad eorum Eccleſias, prout videlicet quisque prius in ordine ſuo promotus eſſet, incedere & ſedere mādaret, nulla habita ratione ad eorum dignitates primatiales, quas vocant, ſive veras, ſive prætenſas, cum clauſula; Non obſtantibus quibuscunq; conſtitutionibus & ordinationibus contrarijs. Ne verò quid præiudicij tam in proprietate quam poſſeſsione Primatuū illorum propterea generaretur, Concilij Præſidentes, & Legati à Latere illud Papæ decretum ita poſtea decla-

clara-

clararunt; mentem eius eſſe, ut nullius ius illo læ-
deretur, utq; nemini ius de novo acquireretur, ac
unumquemq; Primatem in eodem ſtatu perman-
ſurum, quo fuerat ante hoc Concilium. In Actis
quoq; Conventus eiuſdem, ſeſsione nova & ulti-
ma, peculiaris Canon reperitur, quo omnes de
præcedentia cōtentiones inter Eccleſiaſticas per-
ſonas, tam Seculares quam Regulares prohiben-
tur, & ad Epiſcoporum compoſitiones reijciun-
tur, omni appellatione ſemota.

Pendet & ardua lis inter Galliæ & Hiſpaniæ
Reges, quorum hic Catholici, alter Chriſtianiſsi-
mi nomine, primas partes in orbe Chriſtiano poſt
Imperatorem Romanum videtur affectare, nec 74.
deſunt Hiſpano ſtudia magnatum; viciſsim tamē
Galliæ Regum zelus erga fidem Chriſtianam ve-
tuſtior eſt, ac horum quidem legatos nunc propter
hæreditaria fœdera, nunc propter alias cauſas hinc
inde præponi vidimus. Multùm quoq; certatur
hodie inter Italiæ Regulos de maioritate, & gra-
ves inimicitiæ propterea ſuſcipiuntur, cumq; Flo-
rentinus propter factionis Mediceæ potentiam ſu-
perioribus annis à Pontifice Romano, trabea &
alijs inſignibus regalem in modum publicè deco-
ratus eſſet, non tantùm reliqui Principes Italiæ fu-
erunt offenſi, ſed & Imperator Maximilianus II.
Magni Ducis Hetruriæ titulum Coſmo collatum
graviſsimè tulit, ſuas eſſe partes aſſerens, nō Pon-
tificis, ſimiles honoris prærogativas largiri, ideo-
que Romam miſsis Oratoribus de nullitate tituli
proteſtatus eſt. Ac in univerſum Itali , ut civili-
tatis amantiſsimi ſunt, ita gloriæ quoq; & honoris
cupidiſsimi, in vindictam verò ardentes, ideoq;
ſæpe levibus occaſionibus, utpote cum loco in

publica via, vel parietem verſus, illis non ceditur, irritati, ſimultates exitiales concipiunt; Cumque nobiles civitates inhabitent, ſintq; in promtu ſicariorum loricatorum miniſteria, & in Hetruria ac ciſpadanis urbibus Guelforum & Gibellinorum partialitates veteres non prorſus extinctæ, citò factiones oriuntur, inter quas aliquoties ex improviſo non ſine cæde pungnatum fuiſſe meminimus.

Solent & inſcriptionibus Literarum nobiles & ipſi reges multùm honorari. Sæpe tamen, cum aut pax eſt violata aut bellum denunciatur, priſtinæ inſcriptiones omittuntur, quod non tantum Chriſtiani Principes, ſed Turcarum quoq; dominus, ſuperbiſsimos ſpiritus gerens, in dignitatis ſuæ contemtum ſolent interpretari. Alicubi de præcedentia contendunt integræ nationes; ita Helvetij fidei defenſorum titulo ſe glorian tes, non ita diu reliquos Germanos à ſatellitio Romani Pontificis excluſerunt, & Hiſpani locum Germanorum, poſt inconſultum illum noſtrorum diſceſſum, occuparunt Academia Bononienſi, ac licet natio noſtra poſtliminio Bononiam reverſa ſit, adhuc detinent.

Soli Clerici, & apud nos Theologiæ Profeſſores, propter opinionem pietatis & reveren-
75. tiam religioni ſacroſanctæ debitam ad dextram iubentur incedere, illisq; primi diſcubitus, priores tituli, primæq; ſubſcriptiones decernuntur, Cum Electores Eccleſiaſtici, licet illuſtri principum ge-
76. neroſorum ſanguine non ſint progeniti, Imperatori quoq; Romano à dextro latere ſedeant inſtituto veteri, Laici verò à ſiniſtro, de quorum duplici militia, & utra ſit præſtantior, vide glos. fin.

c. 1.

c. 1. Lehnrecht & gloſ. artic. 3. lib. 1. Landrecht cui concordat gloſ. articulo 8. Weichbilt. Qui verò ſint Electores Imperatorem creantes & abdicantes, habetur in gloſſa communiter ad hoc allegata in c. ad apoſtolicæ, §. porro de ſentent. & re iud. in Sexto. & artic. 57 l. 3. Landrecht. Quodque Clerici ſint maioris & altioris profeſsionis, ideoq; venerabiliores, traditur in c. ſolita, extra de maior. & obed: Spiritualia enim digniora ſunt temporalibus c. præcipimus 12. q. 1. l. ſancimus, C. de ſacroſanctis Eccleſijs. Et quomodo dignitates Eccleſiaſticæ reliquæ cognoſcantur per annexam iuriſdictionem, excellentiam nominis, prærogativam ſtandi in choro, ſedendi & loquendi in Capitulo, ius convocandi, & conſuetudinem, quæ plurimum, ut ſupra probavimus, operatur, vide Deciſionem Rotæ 173. de Theſauraria, & 451. fuit dubitatum, in Novis. Quædam verò ex ijs dignitatibus abuſivè ſic dicuntur nullam videlicet habentes adminiſtrationem, ſed ſolummodo ventoſa nomina iuriſdictione carentia, quibus Canoniſtæ paſsim perſonatus nomen attribuunt, per c. dudum 2. de elect. Oldradus conſil. 150. verſic. ſecundo attendendum, vt ſunt illorum Epiſcoporum, quorum diœceſes à Turcis & Saracenis occupantur.

In veteri Teſtamento quatuor dignitatum genera fuerunt, Patriarcharum ut Abraham, Pontificum ut Aaronis, Regum, Davidis, Prophetarum ut Eſaiæ & relquorum.

Apud

Apud Laicos autem quædam dignitates ſunt o-
neroſæ tantum, aliæ, & quidem multo maximæ o-
77. neris & honoris ſimul. Fructus illius honoris de-
pendent ab ipſo Iure Civili, quod muneribus no-
men honoris imponit, l. 2. §. eodem tempore ff. de
orig. jur. ibi, honorarium dicitur, quod ab hono-
re Prætoris venerat, de quo in l. in honorariis ff.
de action. & obligat. l. 1. §. in honorarijs ff. de
var. & extraord. cognitionibus. Et hoc honore
vult affici Iudices Imperator in l. & virtutum C.
de ſtatu. & imag. & in l. unica C. de quæſt. & ma-
giſtr. off. lib. 12. ubi iubet officiales miſſos à Pro-
vincialibus cum acclamatione recipi, ne prætere-
antur incogniti. l. obſervare §. antequam, ver. eſt
enim ff. de officio procons. vult eos etiam ſaluta-
ri in l. 1. ibi, ſi his honorificentia non deferatur, C.
de domeſt. & protecto. eodem lib. 12. l. fin. C. de
offic. div. iudic. l. 3. & l. potioris gradus ab inferi-
oribus competens reverentia tribuatur. C. de
offic. rector. provinciæ, & l. 1. in fine ibi, ita ut in-
ferior gradus meritum ſuperioris agnoſcat. C. de
officio præfecti urbi. l. omnem honorem, C. quan-
do provoc. non eſt neceſs. Decius in c. ut debitus
honos, extra de appellat. ubi gloſſa dicit, Iudices
ob eorum dignitatem honorandos, c. dilectus, ibi,
ne iudicialis evaneſcat auctoritas, de pœnis, quod
ad ordinarios tantū Iudices reſtringunt. Itē tam-
diu locum ſortitur is honos, quàm diu ritè fungū-
tur officio, alias enim poſtponuntur, & ſi diutius
ſe abſentent, in ordinem planè redigendi ſunt.
Indignum quippe eſt deſides à proprijs tam diu
muneribus aberrantes, quos convenit eſſe aſſi-
duos, numerari, ut declaratur in l. 3. C. de do-
meſt. & protector. lib. 12. In l. 1. C. de ſentent.
peſsis,

Digitized by Google

paſsis, habetur Imperatorem Antonium à tribus præfectis ibi nominatis ſalutatum fuiſſe. Etiamſi ſummo Principi vice ſalutationis alioquin adoratio debetur, divinitus enim datus intelligitur, & iuxta Romuli legem per auſpicia deligebatur, omnes itaque dignitate ſuperat. d. l. 1. C. de domeſt. & protecto. & l. 1. C. de præpos. ſac. cubic. l. unica C. de præpos. labor. lib. 12. ubi notant, Imperatorem eandem ad orationem ſedentibus in Conſiſtorio ſuo exhiberi velle, Quam tamen Octavius Auguſtus ipſe non exigebat, nec enim Domini nomen ferre poterat, & vultu manuq; Tranquillo teſte, reprimebat indecoras adulationes, quia Dominatio potius ad tyrannidem ſpectat. c. fin. 94. diſtinct. l. neminem, verbo, concuſſionum dominatione, ubi Lucas de Penna. C. de ſuſcept. præpos. & arcarijs lib. 10. Hodie quoq; Magnates tormentorum diſploſionibus ſalutantur terra mariq;, cumq; claſſes prætêrnavigant, vela & antennæ triremium demittuntur in ſignum reverentiæ. Qua occaſione aliquando Galli volentes abrumpere pacem, ſunt uſi, cum enim ſe Scotiæ reginam vehere ſimularent, naves aliquot Cæſareas poſt honoris illius exhibitiones, ex improviſo cœperunt, & in portum pertractas diripuerunt. Mos eſt etiam ſubditos in introitu principis, vel die ipſius natali, aut aſſumpti regiminis ignes nocturnos in plateis urbium & turrium ſummitatibus excitare. Alicubi conſuetum eſt magiſtratui fructuum primitias offerre, & Reſpublicæ celebriores lectiſsimis edulijs vinîq; precioſi dono principes honorant, vel eos etiam, quibus iuriſdictionem mandarunt: qui in totum muneri-

K bus

Digitized by Google

bus illis abſtinere non debent, ut nec avarè modum excedere, iuxta vetus proverbium, οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων. Nam valdè inhumanum eſt, à nemine accipere, ſed paſsim, viliſsimum, & omnia, avariſsimum l. ſolet ff. de offic. proconſ. & legati, quodq; gratis ſit, ad neceſsitatem non eſt trahendum. Ac ſi in aliquam celebrem civitatem vel provinciæ caput pervenerint, pati debent commendari ſibi civitatem, laudesq; ſuas non gravatè audire, cum honori ipſorum Provinciales id vendirent, & ferias ſecundum mores & conſuetudinem, quæ retrò obtinuit, dare l. ſi in aliquam ff. eodem. In multis locis quotannis ſtato tempore xenia Dominis aut eorum præfectis offeruntur. Quod cum de conſuetudine olim quoq; fieret apud Helvetios, arx Sarna per inſidias occupata fuit. Cum enim viginti iuvenes baculis inferius acuminatis, ut ferro quod in ſinu geſtabant, induere poſſent, armatis munera Calendis Ianuarij pro conſuetudine ferrent, agnos, porcos, vitulos, caſeos, aliaq; huius generis, fit his obvius præfectus de more templum petens, eumq; eos cerneret inermes, nihil mali metuens, inſtitutum iter peragit, lætior etiam propter munerum copiam, quæ ſolito maior erat. In arcem ergo intromiſsi, portam occupant, & ſociorum, qui arboribus erant abditi, auxilio, arcem in poteſtatem ſuam redigunt, & unà cum alijs funditus evertunt, tempore Alberti Auſtriaci, tumq; publicum fœdus inter tres priores pagos eſſet cõſtitutum. Ioſias Simler. lib. 2. De Rep. Helvet. Obſervandum quoque maiores magiſtratus pleniore reverentia dignos eſſe, quemadmodũ præ-

dium.

dium dominans dignius eſt, & à iudice minus digno ad digniorem appellatur, magis enim dignum trahit ad ſe minus dignum. Boer. deciſ. 286. part. 2. Buturius quidam ultimo ſupplicio Romæ legitur affectus, quod Tribuno plebis in foro deambulanti, via, ut moris erat, non deceſſerat. Paruit etiam lictori Fabius Proconſul, cum filium conſulem habuiſſet obviam, ex equo iuſſus deſcendere filiumque magnopere collaudavit, quod Imperium Romano populo non indecore retineret, nec patri etiam parceret. Gellius lib. 2. ca. 2. Hinc videtur eſſe quod Leges noſtræ cœcum poſtulare prohibent, quia magiſtratus inſignia intueri, ipſoſque ut decet revereri non poteſt, ideoque per Prætorem á limine Iudicij repellitur. lib. 1. §. caſum ff. de poſtul.

Quamvis autem utroque lumine orbatus poſtulare nequeat, ſenatorium tamen ordinem prius acceptum retinet, & officio iudicandi fungitur; ſicut Appius Claudius conſiliis publicis intererat, & ſententiam dicebat in Senatu. Aſpirare verò ad novum magiſtratum cœcus penit9 prohibetur. d. l. 1. §. ſed melius. Vide etiam quæ tetigi infrà nu. 123. Chriſtiani optemperantes Pauli præcepto Rom. 13. Vnicuique redditequod debetis, tributum cui tributum, honorem cui honorē, item adhortationi 1. Pet. 2. magiſtratus afficiunt honore debito, iuxta verſiculum: Arbor honoretur, cuius nos vmbra tuetur, Monachorum & Anabaptiſtarum delirijs exploſis, Vide Confeſs. Auguſtanam artic. 16. cum apologia, ibidem.

Digitized by Google

Et bene Iure cautum eſt, iniuriam magiſtratui factam atrocem cenſeri. l. prætor edixit §. ult ff. de iniur. Bart. in l. non ſolum §. ſi mandato, ff. eodem. Ruin. conſil. 81. nu. 6. lib. 4. Iaſon. in l. principalibus, nu. 4. ff. ſi cert. pet. Quocirca eius accuſatio, ſi principi ſummo præſertim ſit illata, publica eſt, & in convictis de tali crimine morte quandoq; vindicanda. l. ſi tamen omnes ff. de accuſat. l. eum qui. §. in popularib. ff. de iureiur. l. in quæſtionibus ff. ad l. Iuliam maieſtatis l. quisquis, & paſsim, C. eodem, de quo nonnulla quoque poſuimus infra numero 118. Propriè verò id crimen admittitur in Imperatorem d. l. quisquis. Cyn. Bart. & alij in l. 1. & 2. ff. ad L. Iul. maieſtat. in quem ſcilicet populus Rom. ius & imperium ſuum tranſtulit. l. 1. ff. de conſtit. princ. §. Sed & quod principi. Inſtit. de iur. nat. gent. & civ. Et in humanam maieſtatem delinquentes capitali pœna plectuntur, bonis etiam publicatis, & memoria defunctorum damnata, d. l. quisquis l. ult. ff. eodem. Secundariò & impropriè crimen id perpetratur in inferiores Cæſarem recognoſcentes, ut ſunt Præfecti prætorio, principis intimi Conſiliarij, & ex Aurea Bulla Electores, item Civitates inſignes principi tamen ſubiectæ, ideo lædentes has vel illos, ipſi tantùm, nō etiam liberi puniuntur Bart. in Conſtit. qui ſint rebelles, verſ. contra noſtrum honorem, & in Conſtit. ad reprimendum, verbo, rebellando; Bald. in l. datur, C. qui accuſare. in fi. Magiſtratuum inferiorum etſi quædam ſit quoq; maieſtas, eorum tamen violatio ad hoc caput æquè non pertinet, Iaſon in §. pœnales. Inſtit. de Action. ſed in

eos

eos peccantes pœna arbitraria tenentur. Iaſon. in 4. §. prætor. nu. 12. ff Ne quis eum qui in ius voca. Guido Papa deciſ. 418. nimirum iuxta qualitatem perſonarum & atrocitatem læſionis. l. 1. ff. de effract. & expilat. Pontifex Romanus DEI vices in terris nefariè gerens, ſervi ſervorum nomine ſe quidem venditat, gladium tamen Cæſari præripuit, ſuasq; rapinas vanis promiſsionibus, minis, & idolis cōſtabilire ſolet. Cūq; ſe velit eſſe culmen omnium dignitatum, nota. in clem. 1. de renunc. oſcula pedum non veretur admittere, parum conſiderans, CHRISTI regnum non adminiſtrari civiliter, ſed per Verbum & Sacramenta; Conſiſtit enim revera in ſola ipſius noticia, nec humanis legibus aut moribus gubernatur. Imprimis autem Vaſallus Dominum feudi debet honorare, c. ſimiliter, quib. mod. feud. amittat. & intelligens aliquid fieri contra ipſius perſonam vel dignitatem, debet id detegere, c. item qui Dominum §. præterea ſi Vaſallus, & c. porro, quæ fuit prim. cau. benef. amitt. c. licet, verſ. ſi tamē, ſi de feud. defunct. fuer. controv. int. dom. & agn. c. unico. de nova for. fidel. Neq; is honor remitti poteſt, quod in Epiſcopo quoq; locum habet, ut refert Bald. in l. fin. C. de bon. liberto. adde Felin. in c. cum non liceat, extra de præſcript. ponderantem textum, d. l. n. fin. verb. reverentia, quia neq; gratis neq; per pactum huiusmodi reverentialis honor remitti poteſt, l. alia §. eleganter, ubi Angel. hoc quoq; notat, ff. ſolu. matrim. Cum ſit contra naturale & civile vinculum. c. conſtitutus, extra, de relig. dom. l. venia. C. de in ius. vocan. Animadvertendum quoq; vocabula dignitatis & honoris inter ſe differre, ut inde liquet,

 quod

quod liberti quidem poſsint honorari, dignitatem verò non habeant.

Appendicis loco libet hic referre, (amant enim alterna Camœnæ) de conſuetudine Germaniæ nobilium miniſtros tempore pacis equitando præcedere dominos, præcipue cum vado tranſeundum flumen, vel aſpera loca ſuperanda ſunt; Cum verò ſpecimen edendum virtutis,
80. & cum hoſte pugnandum, nobiles anteſignani ſunt, ibique, id eſt, ante ſigna confligunt, miniſtris&reliquis commilitonibus poſt principia conſtitutis, quò manifeſtè convincuntur illi, qui à Virtute bellica nobilitatem ſeparare conantur. Qui locus in memoriam mihi revocat vocem cuiuſdam equitum magiſtri, ducentis primam aciem Mauricij Ducis Saxoniæ, belllatoris fortiſsimi, in pugna contra Albertum Marchionem Brandeburgenſem: Cum enim iam ſigna canerentur, & acerrimus ille conflictus inſtaret, Mauricius ſuis ad rem benè gerendam cohortatis, eum, qui primæ alæ præerat, animo quoq præſenti eſſe, & in hoſtes impetum facere iubet. Ille ſe imperata ſtrenuè pollicetur executurum, deſiderare tamen in eo negotio Doctores quorum opera aliâs Dominus uteretur Gnedigſter Herr wo ſind aber nun ewre Docter. Alludens ad illud Theramenis: Docti libenter conſulunt, ſed extra periculū. Princeps, ut ex fide dignis, qui ſermonibus interfuerunt, accepi, ſe illa die conſiliarijs ſuis togatis non indigere reſpondens, aciem promoveri mandat, cœſisque & profligatis Alberti copijs victoriam cruentam conſequitur, ac ipſe lætali vulnere

accepto

Digitized by Google

accepto velut alter Epaminondas, tertio poſt
prælium die vitâ functus, ſui deſiderio, univer-
ſam Europam affecit. Fertur autem & eques ille
literatorum præſentiam requirens, inter primos
dimicando, fortiter occubuiſſe.

Cum itaque virtuti, quam in bellicam &
togatam paulo poſt diſtinguimus, adhuc ſuus ho-
nos habeatur, ſolaque Virtus & Generoſitas pe-
cunijs comparari non poſsint. Eurip. apud
Stobæum, ſermone 85. illud iam monendi ſunt
ingenui adoleſcentes, ut quantò pauciores ad
duplex hoc faſtigium perveniunt, eò contentius,
pro inclinatione tamen cuiusq; naturæ, in illud e-
vadere pergant, ita quidem, ut egregijs orti ma-
ioribus per eadem veſtigia ſe claros efficiant, &
in quibus familijs decus militare fulſit, id poſteri
ſuæ memores originis præcipuè ſequantur, non 81.
negligentes interea doctrinarum ſtudia, quibus
aſperitas exuitur & emolliuntur animi.

Sic mea quidem ſententia futurum eſt, ut vi-
gore conſuetudinis allegatæ, cui, ſi quid hîc pec-
catur, condonandum, non ſolum locum ſublimi-
orem tueantur, ſed aſperis quoq; rebus ſuis inve-
niant remedium, quod luculento teſtimonio Iu-
ſtinianus noſter notum fecit, Titiones Romanos
à maioribus laudatis oriundos, armis autem Got-
thicis, bonis, quæ per Italiam poſsidebant, exu-
tos, mandato ſingulari reſtituens; quod reſcrip-
tum ab Hiſpano quodam ſibi communicatū pub-
licum fecit doctiſsimus Iacobus Cuiacius lib. 10.
obſer. cap. 12.

Qui

Digitized by Google

Qui verò natura duce, & animi propoſito literis honeſtis ſe mancipàrunt, magnum quendam cã-pum gloriæ ſibi quoq; patere noverint; itaq; ſpes illos pulcerrima fovere debet, ne relicto hoc ſtadio in tranſverſum rapiantur, & aliquid audeant cõtra vocationem. Non enim omnium poteſt eſſe æqua conditio in vita, nec civilis hæc conſociatio conſiſtere poteſt ſine diſcrimine perſonarum, ut alij præſint, alij pareant. Cumq; magiſtratus officium iure divino & humano bipartitum ſit, in defenſione videlicet innocentum & pœna ſceleratorum conſiſtens, Reſp. neutro ordine privari debet.

Statueram quidem locum de vera nobilitate, ceu ſcopulum quendã tacitus prænavigare. Sed quandoquidem hucusq; perventum eſt facere non poſſum, quin ſententiam receptiorem contra αὐτόχθονας quosdam perſtringam, ſaltem uno & altero verbo, glos. in princ. c. 81. Lehnrecht, quia pauca ſufficiunt, & nimia ſubtilitate res evertitur, l. ſi quis hæredem, in fi. C. de inſtit. & ſubſtitut. l. penul. C. ad Trebell. l. ſicut. §. ſi debitori. ff.
12. quibus modis pignus ſolvit. Primo itaque ſcimus omnia habere principium & finem, principium, quia omnes ex ijsdem conſtamus elementis, & ab Adamo proceſsimus, eadem ergo & par agnationis nobilitas, Afflict. in Proœm. Conſtit. Regni, in primis verbis; patet ergo iure naturali nullã fuiſſe dignitatẽ, ut in Authent. de Monach. §. hinc autem. Bart. in l. item legato § parvi ff. de lega. 3. finem, quia non ſolum plures humiles & egregiæ familiæ, ſed & Imperatoriæ ſtirpes, imò totæ gentes ita ſunt exciſæ, ut earum ſedes hodie

ſunt

Digitized by Google

ſint in obſcuro. Quibus aliæ deinde familiæ ſucceſſerunt, ob virtutem & bene merita erga patriam, quæ naturam priorum, in quorum locum venerunt, propter vim ſurrogationis meritò debent ſapere. Textus eſt notabilis in l. 1. §. hæc actio, 13.
& ibi Bart. ff. ſi quis teſtam. liber eſſe iuſs. fuerit, & in l. filiæ §. fin. ubi Iaſon. ff. de condit. & demonſtrat. & in l. ſi donatæ, §. ſi ſponſus, ubi gloſ. & utrobiq; DD. ff. de donat. inter vir. & uxor. Ac planè neceſſe eſt, eos, qui primi omniũ nobilitati ſunt, à patria vel maioribus non adeptos eam dignitatem, ſed à ſola Virtute quam Plato ἰδέαν ἀγαθὸν nominat, ut & honorem inde provenientem. Et quid aliud eſt alicuius humiles natales contemnere, quàm Deum cunctis auctorem naſcendi reprehendere? Sic horti, niſi quotannis novæ ſtirpes plantentur, & inſeram ſurculi, citò deficerent, & in ſterilitatem verterentur. Deinde dona 14.
DEI non ſunt hæreditaria, & ex influxu ſiderum modoq; temperamenti corporei, quod animi mores ſequuntur, copioſè Galenus in libello, Quod animi mores tempet. corp. ſequantur, multi ad artes patrias fiunt inepti, & arma tractare nequeunt, ac ſi maximè nollent, tamen in caſſum contra fatum luctarentur, nec enim ſimiles naſcimur, Plato 2. & 3. de Rep. Et non eſt hominis via eius, neque viri, dirigere greſſus ſuos Ieremiæ 10. Adhæc:

Damnoſa quid non imminuit dies?
Aetas parentum peior avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſorem.

Horat. lib. 3. Carm. Ode. 6.

L Tertio

Tertio abſente virtutis excellentia, eiuſdem præmium, id eſt, nobilitatis honos nemini debetur, & ſic Ceſſante cauſa ceſſat effectus. c. etſi Chriſtus de iureiur. Quod ſi patrum ignobilitas
85. nemini virtutem colenti nocet, & claritas tantopere prodeſſe non debet, argumento ducto à contrario ſenſu. l. 1. §. huius rei ff. de offic. eius cui mandata eſt iuriſd. c. cum apoſtolica, in fine, de his quæ fiunt à prælatis, cum ſimilibus, quia nobilitas non habens virtutis committentiam, nihil eſt. Hoſtiens. in c. venerabilis. depræhend. c. tua, de conſanguin. & affinit. Quarto con-
86. ſuetudo inveterata bene natos, virtutem tamen non amplectentes, pro nobilibus habendis videtur eſſe irrationabilis, ergo prorſus tollenda, aut ad æquitatis normam reducenda c. fin. extra de conſuet. Quinto opes in conſiderationem
87. venire non debent, ſunt enim res à Nobilitate ſeparatæ, & earum reſpectu vel mercatores vel mechanici divitijs abundantes, imò infames dignitatum non capaces, generoſi eſſent appellãdi, ac aliàs boni mores prævalent divitijs l. ſcire o-
88. portet. §. cum reliquis ff. de tutor. & curat. quæ quidem fluxæ ſunt & mutabiles, cum ſola virtus ſit immobilis & everti non poſsit, ac, ut aurum reliqua metalla, cuncta vulgi oculos præſtringentia ſuperet & obſcuret, ſecumq; trahat honorem & gloriam, ut corpus vmbram, ideoq; Stoici in ea ſola, ſi maximè conſũmata ſit & perfecta, felicitatem collocabant. Angelus in l. ſi quis ſtipulatus ſit ſtichum, §. ſi quis ita ff. de verb. obligat. citat hos verſus.

Nobilitas

Digitized by Google

Nobilitas morum plus prodeſt quàm genitorum,
Nobilitas etenim ſola eſt, qua moribus ornat.

Quis autem non mallet eſſe Fabricius quàm Mi-
das, Epaminondas quam Iſmenias? Hinc Romæ
delubrum Virtutis prius erat poſitum, poſtea ve-
rò honoris, ut oſtenderetur verus aditus ad ho-
norem, cui aperto capite ſacrificabatur. Tum
compluresex nobilitate rei familiaris, qua ſe ſuos-
que ſuſtentant, adminiſtrationem, ſcribæ cuidam
minimo credere ſolent. Quid ergo cauſæ eſt,
qua literaturam ſolidiorem ſibi poſtponant, vel
penitus eam ſpernant? Vide Petracham Epiſto-
la 110. incip. qualis. Sexto, Nec agricultura ſo-
la, cui nobiles dant operam, quem nobiliorem fa- 19.
cit, eadem enim opera ruſtici hanc, ut olim ſervi,
exercentes eam ad claſſem ſe referre poſſent. A-
lex. conſ. 209. incip. ponderatis, nu. 7. & 8. lib. 6.
Etiamſi leges alioquin agriculturam, ut artem ho-
neſtiſsimam propter utilitatem publicam commẽ-
dent & habeãt in precio, l. 1. l. colonos. C. de agric.
& cenſit. lib. 11. & multis titulis ſequentibus, Au-
thent. ad hæc C. de uſuris. Lucas de Penna in Ru-
br. C. de agric. & cenſit. allegans Ciceronem in
1. de officijs. Corneus conſilio 155. quanquam
videatur, nu. 2. lib. 1. Septimo, Potentiam per ſe
ſi conſideres, & ea veram nobilitatem quoque nõ 20.
poteſt efficere, cum planè nõ ſit dubium, ſi cuipiam
ſenſato liberum eſſet fieri Athilam vel Socratem,
omnino electurum eſſe Socratem. Sed communis
error, arg. l. Barbarius ff. de offic. præt. tam alte
radices egit, vt eripi vix poſsit, Ac licet nobili-
tas & ſcientia, quo ad promovendas æquiparen-
tur, Barbatia in c. poſtulaſti, de reſcriptis.

 Tamen

Digitized by Google

Tamen odia capitalia dicere veritatem non permittunt, Felicitatem enim togatorum comitatur invidia, quæ parit odium & contemtum. Germa-
91. ni quoq; plurimum ſolent tribuere nobilitati generis & nativitatis, ut olim Arcades ſe ante lunam fuiſſe prædicantes, ideoq; lunatis calceis utentes, quos Romani quoq; Senatores geſtabant ad repræſentandam hanc vetuſtatis originem. Quò videtur inclinare quoq; gloſſator Iuris Saxonici artic. 20. & 27. lib. 1. Landrecht, & art. 8. Weichbilt, per l. unicam C. negotia. ne milit. lib. 12. l. iura ſanguinis. ff. de reg. iur. §. quia civilis ratio. Inſtit. de legit. agnat. tut. & c. omnes leges 1. diſtinct. Sic ut nobilitas quodammodo videatur eſſe medullis & oſsibus infixa. Qualis enim pater; talis præſumitur filius, fa. textus, l. quod ſi nolit. §. qui mancipium. ff. de ædilit. edicto, ubi gloſſa citat pentametrum: Sæpe ſolet ſimilis filius eſſe patri, quia natura ex ſimilib9 ſimilia procreat, ut ait Philoſoph. lib. de generat. & corrup. quod ſaltem probabile eſt, non verò neceſſarium, vel perpetuum, maxime quo ad ſobolis animum, qui enim aliud non habet, quàm imagines maiorum, opinione verius nobilis eſt quàm re. Spigel. in ſcholijs ſuper dicta Alfonſi ſcripta ab Antonio Panormita. Audiatur vetus ſapiens:

Quid genus & proavos ſtrepitis?
Si primordia veſtra,
Auctoremq́; DEVM ſpectas,
Nullus degener extat,
Ni vitijs peiora fovens
Proprium deſerat ortum.

Boetius lib. 3. de Conſolat.

Ergo

Ergo quiſque glorietur de eo, quod virtute propria quæſivit, non de eo quod à progenitoribus relictum. glos. in l. ſi quis in bello. ff. de capti.

Nam genus & proavos, & quæ non fecimus ipſi,
Vix ea noſtra puto. Ovid 13. Metam. 92.

Et magis quis laudandus in eo, quod acquirit ſua virtute & induſtria, quàm quod ex naturali ſucceſsione, in hoc enim neq; laudari neq; vituperari eos oportet. gl. in l. expreſsiſſet. ff. de cap. Ludovici XII. Galliæ Regis in oſtentationem generis hoc debetur, Decem nobilibus gentis Navarricæ unicum enſem ſatis eſſe, id & in Pictonicos iactitabat. Poetæ tradunt Orionem Iovis filium ſe ſupra cæteros homines efferentem, Deorum iram provocaſſe, ut à minimo animali Scorpione ictus conciderit. Iidem carpentes arrogantiam, Thamyram oculis captum finxerunt, quod Muſas cantu provocaſſet, Arachnen cum Pallade de lanificio certantem in araneam converſam, Antigonam propter formæ iactantiam à Iunone in Ciconiam commutatam. Humilitas autem & animi moderatio Comes debet eſſe nobilitatis. Quid Goliath Philiſtæo vaſtas corporis Gigantæi vires iactanti contigerit, ſacræ literæ docent, 1. Regum. 17. Cn. Pompeius Magni filius, Neptuni filium ſe vocans, prælio navali tandem ſuperatus. Darius Perſarum rex Deorum conſanguinei nomen uſurpans, profligatus ab Alexandro Macedone. Populi Romani toto orbe celebratiſsimi mos fuit, putandi hoc eſſe nobiliſsimum quod optimum. Marium ignotæ originis Principem Romani nominis habuit, & ad ſextum conſulatum provexit, Coruncanus homo novus ante primum bellum

Punicum Pontificatu & omnibus alijs honoribus ab eodem fuit ornatus. Servius Tullius è ſerva natus Romæ tenuit imperium. Eminentes quoq; viri in Rep. Romana magnis adiutoribus uſi ſunt ad gubernandam ſuam fortunam, ut duo Scipiones duobus Lælijs, ut Auguſtus, M. Agrippa, & ab eo Statilio Tauro, quibus novitas familiæ haud obſtitit, quo minus ad multiplices conſulatus & triumphos everherentur. Solon ille Athenis ſpreta ſtirpe natus, ſanctitate legum à ſe rogatarum tanto beneficio mundum affecit, ut propter famam æquitatis & Iuſticiæ Romanis demum Legibus, quibus magna pars orbis Chriſtiani adhuc regitur, originem dederit. Petracha in epiſtola incip. Noli obſecro, dicit ipſum Chriſtum redemtorem noſtrum ex humili radice voluiſſe naſci.

93. Politianus verò ex Platone non dubitavit aſſerere, Non eſſe quenquam Regum, qui non ſit è ſervis ortus, nec ſervum, cui non ſint origo Reges, omnia enim iſta tempus miſcuit. In dignoſcenda igitur nobilitate, bona animi & interna tantummodo ſunt attendēda, differunt enim claro genere eſſe natū, & eſſe nobilem.

94. Vulgus autem vocabulo Nobilitatis abutitur, & ſecundum obiecta oculorum iudicium facit, cum tamen in ſolis externis, utpote temporis antiquitate, divitijs, ampla familia, dignitate, agricultura, revera Nobilitas non conſiſtat, ſed interiorem perfectionem requirat. Qua demum, ſi verum fateri licet, promeretur uſitatum honorem, qui ſignis quibusdam, pro conſuetudine loci ſolet exprimi. Aut enim caput aperitur aut inclinatur, aut manus vel genu, vel etiam veſtis lacinia petituro ſculo.

Alicubi

Alicubi itur obviã vel occurritur, ceditur etiã loco & via; eſt quoq; prærogativa ſedendi intra privatos parietes, vel in publico; eſt & honor in ſalutãdo & aſſurgendo, glos. in l. honorem §. liberos. l. ſed etſi. ff. de in ius voc. Ac more in Germania recepto aqua ad lauandas manus in convivijs appoſita honor ſolet exhiberi. Etſi verus honos in hiſce minutis non videatur conſiſtere, is enim in magiſtratu, legatione, & alijs publicis officijs magis relucet. De bonitate equi vel accipitris rectè pronunciare volens, externa minimè reſpicit ornamenta, ſed induſtriam & peritiam, quam ex humana diſciplina illæ beſtiæ ſunt adeptę, probè cõſiderat. Sic homo ab homine rationis excellentia potiſsimum differt. Abſurdiſsimum itaque eſt in propria ſpecie diſcernenda nos eadem ſolertia nõ uti. Videmus enim indignos honorari, & vilior eſt plerunq; dotatus ingenio & doctrina, quàm dives indoctus, ſtirpem tamẽ ſuam iactitans. Prædicta non aliter intelligi velim, quàm præſumtionem bonitatis de natis eximia familia, tam diu locum habere, quàm diu maiorum veſtigijs inſiſtunt ſeq; parto decori dignos exhibent, vide Iuvenal. Satyr. 8 Tunc enim eſt æquiſsimum illos omni favore ſtudioque proſequi, Ac utile eſt Reip. nobiles eſſe homines, dignos maioribus ſuis, & valere debet apud nos clarorum hominum, deque de Rep. meritorum ſenex memoria, etiam mortuorum. Cicero Oratione pro Seſtio. Cum præſumatur quis eſſe bonus, qui de bono genere natus eſt. l. cum unus in princ. ff. de alim. & cibar. legat. fa. l. ſtemmata ff. de gradib.

95.

conſang.

conſang. Alciatus reg. 1. præſumt. 48. præſumpt. ubi à virtute nobilitatem, propriè loquendo, prout videlicet quis a plebeio differt, l. ne quis. C. ut nemo priva. ſeparare videtur, per Bar. l. 1. C. de dignit. lib 12 qui dicit: Nobilitas eſt qualitas illata per tenentem Principatum, qua quis ultra honeſtos acceptus oſtenditur, & notanter vocat qualitatem, quia poteſt adeſſe vel abeſſe præter ſubiecti corruptionẽ, quod apparet in muliere plebeia, quæ ſi nubat homini nobili, ipſa quoq; nobilis efficitur, l. mulieres. C. de dignit. l. fœminæ ff. e ſenato. Sicut cõtra nobiles non viventes nobiliter ſed negotiationes exercentes, effectum nobilitatis amittunt. l. per id tempus. C. de curios. & ſtatu. lib. 12. Reſtringitur etiam nobilitas ad genus paternum tantùm, nec à materno provenit. l. liberos. ubi Moderni. ff. de ſenator. Bertrand. conſ. 24. nu. 3. vol. 1. Ac tandem in hanc eſt itum ſententiam, ut iudicis arbitrio permittatur quis ſit nobilis, is enim æſtimabit vel ex iure communi, vel ſtatuto loci, vel conſuetudine patriæ. Bald. in l. Gracchus. C. ad l. Iuliam de adult. Alex in annot. ad Bart. l. 3. in princ. ff. de teſtibus, & hoc ſecutus Ripa in l. ſi conſtante nu. 30. ff. ſolu. matrim. Sed,

Non minor eſt Virtus, quàm quærere, parta tueri,

glos. in l. ſi pater §. in arrogationib. ff. de adopt. Et ſæpè in uno deſinit, quod in alio incipit, iuxta Felin. in ca. ſuper el. & 2. col. 3. de Teſtibus. Quod cum poſt divinum numen in educatione præcipuè ſitum ſit, Parentes omni ſtudio dare debent operam, ut illi quibus Eccleſiam & Remp. relicturi ſunt, priſtinæ laudis iter à teneris ingrediantur, viriq; facti, quæſitum decus, quantum iu ipſis eſt, tueantur

meantur & amplificent. Non enim honor imaginatione acquiritur, ſed virtute, id eſt, factis laudabilibus ac turpe eſt, quibus bene naſci contingit moribus generi non reſpondere. Apud Græcos & Athenienſes præcipue Solonis inſtituto, pueri ingenui non ſolum in literis & Muſica, ſed & in palæſtra exercebantur, & Plato lib. 7. de Legibus Gymnaſticam diligenter cõmendat. Hunc vel ſimilem morem adhuc ſervari eſt æquum propter evidentiam publicæ neceſsitatis & utilitatis. Plenioris intellectus gratia modos adſcribemus contrahendi nobilitatem. Ac Bartol. quidem in l. 2. C. de dignit. lib. 12. circa hos varios ponit opiniones, multasq; reprobat, quas & perſequitur Lucas de Penna in l. mulieres eod. tit. & libro. 16
Tandem verò Bartolus in hac reſidet, quod tres ſint omnino ſpecies nobilitatis, una ſupernaturalis vel Theologica, qua ſc: quis Deo gratus eſt & acceptus præ cæteris, altera naturalis, tertia civilis, ad exemplum primæ introducta. Poſt hunc Bald. in l. 3. C. de comment. & merca. dixit, nobilitatem capi quoq; tribus modis, primo modo eſt illa, quæ deſcendit à ſtirpe, progenie vel ſanguine, ſecundo, quæ provenit ex virtute, & illa appellatur accidẽtalis ac extenditur uſq; ad pronepotes, ut aliqui voluerunt, ex l. Divo. C. de quæſtioni. Tertio quæ á genere & virtute ſimul habet ortum. Et hanc ait eſſe perfectam nobilitatem, vocatq; generoſitatem, animi magnitudine decoratam. Quæ determinatio valde nobis arridet. Inter Modernos Matthæus de Afflictis admodum ſubtiles diſtinctiones attulit in Tit. quis dicatur dux, quarum hæc eſt

ſumma. Prima ſpecies nobilitatis cauſatur ex vera ſapientia, quæ præfertur omnibus nobilitatibus, ſcriptura quoq; ſacra teſte. Sap. 7. Proverb. 8. & ſapientia legalis ſanctiſsima dicitur. l. 1. ff. de var. & extraord. cognit. propter quam Iulianus vocatur ſapientiſsimus in Auth. quib. mod. natur. effic. legit. Vlpianus verò nobiliſsimus in l. diximus in fi. ff. de excuſat. Tut, ut & alij bene meriti clariq; Iuriſperiti in l. providendum. C. de poſtul. qui duo textus refutant incautas voces audaculorum quorundam, contendentium nobilitatem Iureconſultorum nulla lege probari poſſe: Secunda & ſolidiſsima ſpecies nobilitatis eſt ex virtute carens imaginibus. Tertia ex dignitate & poteſtate ſeculari: Quarta ex feudo nobili, de quo Princeps inveſtivit. Quinta ex ordinibus vel gradibus militaribus, ſimplex enim militia, gregariorum videlicet, potius eſt ſervitus, c. multorum. 54. diſtinct. 6. ex antiqua progenitorum nobilitate fa. l. 2. ibi, vir ab antiqua ſtirpe. C. de vet. iur. enucl. & Proverb. cap. 18. Gloria filiorum ſunt eorum parentes. Hæc etſi hodie nimis extolli videatur, ut ſuprà retulimus, tamen de conſuetudine prævalet, noſq; illam, cæteris paribus, cum Cicerone plurimi facimus, & reliquis anteferimus, cum certum ſit, antiquitatem, ut alia multa, ita & hanc præſtantiam vel prærogativam operari. Septima ex divitijs vetuſtis vulgo æſtimatis. Octava ex loco nobili. Nona ex opinione communi, ſicut & fama nobilitatem probari dicit. Bald. in alleg. l. providendum. Decima, ex privilegio principis. His adiungi commodè poteſt Ambroſij ſententia lib. de offic.

Hanc

Hanc dignitatem induere, nobilitatem progeni-
torum, virtutem, divitias & honorem, ut proba-
tur quoq; in d. l. 3. C. de commer. & merca. Plu-
ra non addo, memor propoſiti noſtri, curioſos au-
tem ad Andreæ Tiraquelli cordatiſsimi Iurecon-
ſulti ſolennem Tractatũ de Nobilitate, remittens.

Quibus omnibus expeditis, iam relinquitur
illud, in quod initio digitum intendebam; Poli-
tiam vel civile regimen in duplici eſſe differen-
tia; Diducitur id in militiam armatam, & togatam
vel inermem. Imperator in l. 1. C. de com. rei 17.
milit. lib. 12. quam & literatam dixit in l. proxi-
mos. C. de Proxim. ſacr. ſcrin. l. unica. C. de caſtr.
omn. palat. pec. ad quem numerum, brevitatis
cauſa omnes literati principum miniſtri referen-
di. Vocatur & iuridica militia, quæ rurſus ſub-
dividitur, ut in glos. art. 3. nu. 5. lib. 1. Landtrecht.
De armata quoq; loquitur c. ius militare, diſtinct.
1. & Authent. ut ab illuſtribus, & qui ſuper ea
ſunt dignitate, §. ſancimus. coll. 5. & Authent de
appellat. § illud etiam, coll. 4. gloſs. in Proœmio
Inſtitutionum. §. cumq; in verbo, illuſtribus. Di-
ſtingvitur verò illa militia, ut per gloſs. articuli 20.
lib. 1. Landtrecht, & alia quidem ſuſcipitur edicto
ſuperioris, urgente neceſsitate, qua, cum peccato
careat, hoſtes licitè trucidantur. c. contra morem,
diſt. 1. c. debitores, extra, de iureiur. Alia propter
oſtentationẽ viriũ & laudis gratia, quæ prohibita
eſt eouſq; ut cadentes in tali ludo careant Eccleſi-
aſtica ſepultura. c. felicis, extra de tornea. c. artem,
extra, de ſagitta. An verò homicidia baliſtariorũ,
item quę contingunt ex luctatione permiſſa & ſi-
milib. exercitijs, caſualia ſint vel ex propoſito, vi-
de Text. in l. ſi ex plagis. § cum pila, ff. ad leg. Aquil.

Reprobantur à Iure quoq; pugiles & gladiatores
propter pecuniam certantes, c. ex tuarũ, extra de
purgat. Canon. & purgat. vulgari pertot. ſicut &-
duellum inter Chriſtianos, exceptis tribus caſibus,
eſt ſublatum, Text. & gl. in l. 1. C. de gladiat. lib. 10.
gl. fin. art. 39. item art. 36. & 64. lib. 1. *Landrecht.* ple-
nè Franc. Curt. conſil. 123. 2. parte. Eſt enim tam
contra naturam, quæ ſui converſationem dictat,
quàm contra Evangelicum præceptum Matth. 4.
& Luc. 4. quia tentatur Deus. Aliqui addunt
tertiam militiam, nimirum cæleſtem vel Clericalẽ,
de qua eſt gloſ. ordinaria in l. penult. ff. de militari
teſtam. Habet & angelorum ſuperna & inviſi-
91. bilis militia diſtinctos gradus, ut ex ſcriptura ſacra
colligitur, frequenter enim Patriarchis apparue-
runt angeli & archangeli; ſunt itaq; Ducum fun-
gentes officio, Dan. 10. cœteri militant pro ſalu-
te piorum, & alij quidem ſunt vigiles Dan. 4. cu-
ſtodes & directores Pſal. 33. & 91. curam haben-
tes omnium creaturarum Dei, & ſemper adſunt
Eccleſiæ, politijs, & Oeconomijs miniſtratorij ſpi-
ritus, Daniel. 10. Matth. 18. epiſtola ad Ebræos cap.
1. Iacob angelos apparentes ſibi vocat caſtra &
exercitus DEI Gen. 32. In Domini nativitate &
multitudo cæleſtis militiæ DEVM laudantis à pa-
ſtoribus conſpicitur. Luc. 2. Eſt autem ſuperius
horum munus canere, Gloria in excelſis DEO,
officia reliqua ſunt inferiora, & Eccleſiam militan-
tem concernunt. Eius cognitionis umbram gen-
tes quoq; retinuerunt, fingentes ſibi Lares, item
gneios bonos & malos. Semper enim pu-
gnant caſti ſpiritus contra diabolos vel malos
Angelos

Digitized by Google

Angelos, quorum princeps eſt Sathanas mundi Dominus, Lucæ 11. qui per malitioſos & immundos tenebrarum ſpiritus affligit Eccleſiam, turbat aulas, & privatos ad adulteria, furta, cædes impellit, ipſeq; ſicut Leo rugiens graſſatur, quærens quem devoret 1. Petri, 5. Non plus tamen efficere poteſt, quàm ad piorum tentationem vel impiorum pœnam Deus illi permittat, ut ipſe Satan vel Cacodæmon fatetur in libro Iob. cap. 1. Nec cæteris fas pro libitu ſævire, nam plures ſunt nobiſcum, ut Eliſæus Propheta famulum hoſtili multitudine turbatum conſolatur 4. Reg. 6. Quemadmodum verò DEVS non tantum potens eſt, ſed & ſapiens, utq; duo Luminaria magna, Sol & Luna hunc mundum per vices illuſtrant; utq; conſenſu corporis & animi, unde conſtamus, ſanitas humana continetur, & odoribus ac unguentis cor & cerebrum reficitur & oblectatur, Vtq; organo animæ rectè diſpoſito, actus humani melius expediuntur; Ita in harum artium maximarum coniunctione prudenti tota ſolus humani generis vertitur. Sunt enim planè cognatæ virtutes Iuſtitia & Fortitudo, & propter earum copulationem valde laudatur Cœſar Auguſtus à Suetonio, ſicut & Melchiſedech, id eſt, iuſtus rex, quem Patriarcham Sem fuiſſe communiter exiſtimant, utrumq; munus Sacerdotis & Regis in Salem ſuſtinuiſſe legitur, Gen. 14. & ſecutis temporibus uſq; ad regum ſucceſsionem divinitus auſpicatam, ſacerdotes in populo Dei iudicia exercuerũt. Vt igitur utriusq; artis cultorib9 anſam præbeam, honeſtius de alteris in poſterum ſentiendi, ſeq; ſtudioſius invicem complectendi, univerſa enim delicta operit dilectio

ctio 1. Pet. 4. quædam ex Iure noſtro & Interpretibus eiusdem, nec non aliis ſcriptoribus probatis delibabimus, & Notabilium vice ſubijciemus, Ex quibus reſultabit parem in parem non habere
99. imperium. c. innotuit. extr. de elect. l. ille à quo, § tempeſtivum. ff. ad Senatusc. Trebell. Si enim propter aliquam conſuetudinem contrariam Literæ non præponderant, ſaltem pari paſſu aliàs cum armis ambulare, & quaſi fraternizare invicẽ deprehendentur. Quo ad pacem conſtituendam nihil utilius videtur eſſe, veluti oſtraciſmus vel paritas illa antiquorum, qua cives excellentiores ad tempus redegabantur, in Græciæ civitatibus, quæ populari Imperio regebantur, uſitata, nec ab Ariſtotele quidem 3. Polit. reprehenſa, ad factiones tollendas plurimum conducebat. Non is etenim ſum, qui ferrum militibus extorqueri valeam, vel exiſtimationem ſtudia tractantium elevare cupiam, quorũ unum cum periculo conjunctum, alterũ laboris plenum; Deinde otio hanc ad rem perficiendam, non abundo, nec in ſcirpo nodum quæſiviſſe, aut obſtinatior videri volo, cũ utroq; ordine plurimum utar, & utriq; pænè ex æquo debeam; Tum verecundiæ meæ aliorum ſententiis nusquã non aſſuetę cedere, multis juſtiſsimisq; de cauſis non convenit, negotij tam ardui deciſione judiciorum malignitatem in me unum derivare.

Primo itaq; Noto. Naturam omẽs pares feciſſe, Roman. 6. Simile cunctis principium vitæ, idemq; finis militi & literato præſtitutus, ſemel o-
100. mnibus mori eſt neceſſe. Novell. de hæred. & falcid. § nec quisquam. Conſtit. 1. & mors omnia ſolvit. Novell. de his qui nup. iterant. § quod autem Conſtit. 22. qua nihil certius, l. 1. ff. de condit. & demonſtr.

Secun-

Secundo Noto, Vtrumq; patriæ naſci l. poſt-
liminiũ 6 filius ff. de capt. & poſtlim. reverſ. Bald.
in Authent. ſed omnino. C. ne uxor pro marito,
Vtraq; enim ars eſt divinitus ordinata & Reip:
neceſſaria. l. unica. C. de Iuſtin. Cod. confirm. in
his verbis: Summa Reip. tuitio de ſtirpe duarum
rerum armorum ſcilicet & legum veniens. Nec
enim illud λάθε βιώσας à timidis aut ignavis tanto-
pere commendatum, legumlatoribus probatur.
Vterq; legitimã habet functionem, quia Chriſtus
& Iohannes eius præcurſor in Lege Nova politi-
as non ſuſtulerunt, ut Iulianus & eius paraſiti vo-
ciferabantur. In Centurione Chriſtus militiam
probat Matth. 8. Eſt enim juris naturalis, ut omnis 101.
quoq; forma civilis regiminis, cuius quædã veſti-
gia natura volatilibus & quadrupedibꝰ impreſsit,
Grues agmẽ cogunt abituræ, ducem legunt, diſ-
ponunt excubias. Plinius hiſtor. naturalis lib. 12. 102.
cap. 23. Apes ex inſectis ſolæ ad humanos uſꝰ ge-
nitæ, habent caſtra, regem, duces, concilia, exe-
unt ad præliandũ, conglobantur, acie dimicant,
intus verò laborant, & regi ſatellitibus cincto ac
ad operas velut exhortanti, parent & obediunt.
Plin. lib. 11. cap. 17. Cervi maria traijciunt, grega-
tim nantes, porrecto ordine, & capita imponẽtes
præcedentiũ clunibꝰ, vicibusq; ad terga redeun-
tes, idem Plinius lib. 8. cap. 22. Eadem militia ut-
pote Iure gentiũ quoq; comprobata tam Legi-
bus quàm Canonibus confirmatur, 23. q. 1. & 2.
tot. tit. ff. & C. de re milit. Inſtit. & Cod. deteſt.
milit. & C. de tironibus, item de veteranis, de re-
ſtitut. milit. de offic. mil. jud. & ſeq. de fabricenſi-
bus, & paſsim, item in Auth. de Armis collat. 6.

Dummodo

Dummodo bellum ſit iuſtum, id eſt, edicto ſuperioris, pro repetēdis rebus, aut ad iniuriā propulſandam, vel inferendam vindictam ſuſceptum. Hæ enim belli legitimi ſpecies inveniuntur, quæ
103. declarari poſsunt exemplis è temporum memoria petitis, ut Defenſio erat, cū Græci reprimebant Xerxem, & Romani Hannabilē, Maccabæi Antiochum, Conſtantinus Licinium. Recuperatio erat cum Dion recipiebat Syracuſas, Thraſybilus Athenas, cumq; civitatibus Ionicis iniuſtè oppreſſis Alexander libertatem reſtituebat. Pœna vel vindicta erat, cùm Iſraelitæ bellum inferebant tribui Beniamin propter ſtupratam Levitæ coniugem. Sunt & aliæ bellorum ſpecies. Vnum quod à barbaris geritur, quo tantum exitium hominum quæritur, quale erat Romanorum cum Cimbris & Celtiberis, de quo Florus lib 3. c. 3. quale cum Turcis, Mauris, & Tartaris hodie geritur ἀκήρυκτος καὶ ἄσπονδος πόλεμος. Alterum quod contra vicinos, iuris & humanitatis intelligentes, ut cum Romani contra Latinos, Sabinos, & Samnites præliabātur, idem Florus lib. 1. cap. 11. 14. 15. & ſeq. Qualia fuerūt & punica bella cōtra Carthaginēſes. Omnes hi fuerunt hoſtes publici Romani populi, qui perduelles apud veteres vocabantur. l. quos nos ff. de verb. & rer. ſign. Talium bellorum finis erat dignitatis & imperij propagatio. Ea quidem minus acerbè gerenda ſunt, ſed victoriam plerunq; comitari ſolet inſolentia, & pauci ea moderatè ſunt uſi. Ita literis dediti artem licitam & quidem pulcerrimam non minus exercent, ſine his enim orbis regi non poteſt, authent. habita. C. ne filius pro patre, Abb. in c. licet nobis, extra de præbed.

Tertio

Tertio Doctor non liberatur à patria poteſta-
te, ſicut nec miles ſeculi, l. ſi maritus, & ibi Baldus
C. de patr. poteſt, ſalvis tamen, quę de emancipa- 104.
tione, & illius effectu, iure civili & ſaxonico ſunt
introducta, § præterea, Inſtit. quib. mod. ius patr.
poteſta. ſolvi. artic. 11. lib. 1. Landtrecht, conſtitut.
ſaxonic. 10. parte 2.

Quarto vtriq; diverſos habent gradus & titu-
los, quibus inter ſe vel ab alijs diſcernuntur, item
diverſas veſtes, Doctor utitur toga, & birreto vel
pileo ingenuitatis indice, quo & inveſtiri dicitur,
miles chlamyde, ſago vel paludamento, pro cu-
iusq; nimirum dignitate, ſicut habent & inſignia
diſcreta, item ſua privilegia, Angel. § item Romæ,
Inſtit. de excuſat. tut. & curat. Dd. in alleg. auth.
habita, Galiaula in repetit. l. centurio ff. de vulg.
& pupill. Cardinal. in clem. 2. quæſt. 4. extra de
Magiſtr. Si videlicet ambo deſcripti ſint in matri-
cula. gloſs. in l. 3. C. de offic. mag. mil. Quæ privi-
legia ad eorum uxores & liberos extenduntur. l.
1. & 2. ff. de ux. mil. qui Reip. cauſ. abs. l. fœmi-
na ff. de ſenator. l. 2. & tot. Tit. C. de dignitat.
lib. 12. Sed non utendo amittuntur. Debent er-
go in exercitijs bellicis & artis togatæ perſevera-
re, nec ad focum deliteſcere, Ambobus honores
à ſummis Principibus decreti, & ſtatutæ pro ro-
ſtris in publico poſitæ, ad quas olim aufugientes
velut in Aſylo tuti fuerunt, quales erant etiam
Platonis quam dicavit Mithridates, Demoſthenis,
quam collocarunt Athenienſes, Frontonis à M.
Aurelio poſita & ſimiles. Iisdem privilegijs mi-
litum veterum gaudere debent & hodierni mili-
tes, dummodo bellis non abſtineant, Felin. in c. 105.

137
Digitized by Google

clerici circa princ. extra de iudic. contra Bartolum in l. miles ff. ex quib. cauſis maior. Quod & locum habet in Doctoribus modernis, ex vi parificationis militiæ togatæ cum armata, de qua infra 24. Notabili.

106. Quinto Minor poteſt Doctorari, ſic Nerva filius decimo ſeptimo ætatis anno publicè de Iure reſpondit, l. 1. § puericiam. ff. de poſtul. Iaſon in Rubr. C. de pœn. Et Baldus Vbaldus planè iuvenis repetijt legem difficilimam Centum Capuæ. ff. de eo quod certo loco. Bartol. verò lumen iſtud Iuris ſub Cyno Piſtorienſi publicè docuit aliquandiu, cumq; poſtea diſputaſſet, infulis Doctoralibus ornatus eſt, completo ætatis anno vigeſimo, mortuus verò, ut ex hoc addam, agens annum quadrageſimum quartum. Eius veſtigia in interpretatione iuris Civilis vulgò ſequuntur & adorant Hieron. Cagn. in Rubr. Procemij Digeſtorum. Ita & intra militares ordines recipi, ac cæteris paribus militum Dux eſſe. Eodem modo Scipioni poſtea Africano dicto, valde tum iuveni, bellum periculoſiſsimum adverſus Carthaginem Romani nominis æmulam commiſſum, Livius annal. lib. 6. dec. 4. Et Guaſto Foiſſeius noſtro ſeculo annum decimum nonū non excedens, res magnas in Italia pro Ludovico XII. Galliæ rege geſsit, ut videre eſt apud Iovium lib. 10. Hiſtor. ſui temp. to. 1. & Franciſcum Guicciardinum lib. 9. &. 10. Hiſtoriæ Italicæ.

107. Sexto, Doctor gradatim promovetur, non per ſaltus. l. nemo. C. de advoc. diverſ. iudic. Ita ex tyrone, manipulari, & gregario milite tandem fit Centurio, tribunus vel magiſter militum. l. ult. C. locati.

locati. Lucas de Penna. C. de com, & trib. ſchol. Sunt etiam variæ dignitates in militia, & quiſq; pro tempore ſumti ſtipendij, ætate ſua, proq; virtute & fortitudine ab infimis numeris ad alios maiores evehitur. l. contra publicam, & l. 3. in fin. C. de re milit.

Septimo Infamis non poteſt creari Doctor. c. infamibus. de reg. iur. in ſexto. Infames quoq; militare prohibentur l. 2. § miles ff. de his qui not. infa. & l. qui cum uno § adulterij ff. de re milit. Quod utinam hodie ſtrictius obſervaretur, & minus de diſſolutione diſciplinæ militaris conquereremur. 108.

Octavo Adſcribendus militiæ iurare debet. l. pen. ff. ex quib. cauſ. maior. Bald. in l. fin. C. de teſtam. milit. Ita Doctor in promotione iuramentum præſtat, clem. 2. ubi gloſs. & Cardinalis extra de Magiſtris, ſalex, nemini C. de advoc. diverſ. iudic. 109.

Nono Magiſtri nomen eſt commune cultoribus artium, & militibus, unde & ipſi Magiſtratus, quorum ordines late explicat Iaſon in l. 1. col. 1. & 2. ff. de offic. eius cui mand. eſt iuriſd. per derivationem cognominati, Paulus in l. quibus præcipua, ff. de verb. & rer. ſignif. ubi Alciatus. Sunt & ſcholæ militares. l. ult. C. de loca. & conducto, quarum tamen uſus hodie apud Turcas quàm apud Chriſtianos. 110.

Decimo, Miles qui non eſt, pro milite ſe gerit, pœna falſi tenetur. l. eos § qui ſe pro milite ff. de falſis, qui textus eſt contra circumforaneos illos graſſatores, qui ruſticis moleſti ſunt, in quos tamē Provincialis Conſtitutio, quam ordinatio Impe- 111.

Digitized by Google

rialis animadvertit. Sic actu aliquo Doctorali ſe pro Doctore dolosè venditans, pœnam falſi non minus incurrit. Bart. in l. eos § fin. ff. de fals. Felin. c. tertio loco, extra, de probat.

112. Vndecimo. Doctor, ut miles, impunè geſtat arma, etiam prohibita, nec ab officialibus propterea moleſtari debet. Bart. in l. medicos. C. de profeſs. & med. lib. 10.

Duodecimo Miles exiſtens in procinctu habetur pro cincto. l. pen. ff. de milit. teſtam. Et de

113. proximo Doctorandus, habetur pro Doctore. Potentiâ enim propinqua actui pro actu habetur gloſs. & Bald. in alleg. l. pen. ff. eodem, quòdq; Licentiatus Doctorum privilegio gaudeat, in ſpecie tradidit Felin. in c. cam te, nu. 1. de præſcript. & Iaſon in favorabilibus idem obtinere aſſerens, in l. ad perſonas egregias, nu. 11. ff. de iureiur.

Decimo tertio, in utroq; regulariter obſer-

114. vatur, ut qui prior eſt ætate, & vetuſtior in promotione, facultate quoq; ſedendi, loquendi, & decernendi ſit potior, iuxta leg. 1. C. de præf. prætor. lib. 12. Quod habet locum in omnibus qui ſunt æqualis officij, & dignitatis. Fallit ſecundum quosdam ſi iuvenes ſint excellentiores & digniores, ita dicit gloſs. in § ordinationem, verſ. tempus, in Auth. de Monach. Alex, & Iaſon in l. cum quid. nu. 12. ff. ſi cert. pet. Quod tamen multa probatione videtur indigere, cum non tam natura quàm Iure divino, gentium, civiliq; maiores natu iunioribus præferantur, Angel. in l. ſed ſi hac, § ſed ſi ff. de in iusvoc. & l.

 ſem-

ſemper in princ. ff. de jur. immum. ubi dicitur: Semper in civitate noſtra ſenectus venerabilis fuit. fa. l.1 & 2. ff. de alb. ſcrib. Hinc Virg. Ecloga 5.

Tu major, tibi me eſt aquum parere Menalca,

& Levit. 19. Coram cano capite aſſurge. Præſumitur autem in majore natu maturior ſenſus. c. niſi cum § alia verò cauſſa, de renunciat. Bald. im c. 1. per illum textum de renunciat. & in l. cum antiquioribus. C. de jur. delib. Ita claves alicujus caſtri debent eſſe in cuſtodia vaſalli natu majoris, per l. cum pater, § pater pluribus, ubi Bartolus ff. de lega. 2. Et ſpecialiter, quod antiquior Doctor præferatur reliquis ejusdem profeſsionis, tradit Bart. in l. 1. ff. de obſeq. Si verò Doctor, qui primarium locum in quadam univerſitate obtinuit, ad aliam præmiis à principe vel aliqua Rep. ſingularibus evocatus, in Collegium DD. aggregetur, locum poſtremum non debet obtinere, ſed poſtquam jam cooptatus eſt, honor illi & ſedis & temporis docendi extra ordinem pro dignitate tribuendus. l. ult. C. de tyron. l. unicuiq;. C. de proxim. ſacro. ſcrin. ubi ſtatuit Imperator, ut militantes in ſcrinio, ſi modò meritis & dignitate pares ſint, ſecundum temporis ordinem & promotionis ſeriem ſuccedant, ſed ſi quis eorum alterū, qui tempore ſuperior erat, laborum & induſtriæ comparatione ſuperet, tum is antiquiori præferatur. Quapropter eo caſu meritum vetuſtati prævalet, ut in l. providendum. C. de poſtul. & Vlpianus præclare ſcribit in l. inter ff. de ſolut. Inter artifices longa differentia eſt, ingenii, naturæ, doctrinæ, & Inſtitutionis. Idem Vlp. in l. ſed ſi quis § 1. ff. de uſufr. Hoſtien. & Abbas in c. 1. de con- 115.

 ſang.

Digitized by Google

ſang. & affin. Iohan. Andr. & Canoniſtæ reliqui in c. Clerici, de judic. quoniam antiquior non intelligitur ex ætate, ſed gradu & dignitate. Vide multa præclare in hanc ſententiã congeſta apud Franciſc. Marc. in Deciſ. Delphinat. quæſt. 303. quæritur an in ordine.

116. Decimo quarto, Militum Magiſtro creditur de ſuo milite, Specul. de probat. §. 3. verſ. hoc quoq;. Ita & magiſtro ludi vel univerſitatis Rectori de ſuis ſcholaribus & profeſſoribus, ibidem.

Decimo quinto, Vterq; licite facit ſtipendia, & labores ſuos locat. Iuriſperitus poteſt vendere conſilium ſuum. l. 1. § eſt enim quidem ff. de var. & extraord. cognit. quo magis deliberatè rem tractare debet, quàm in lecturis, ideoq; tunc illi major fides adhibetur.

117. Operarius eſt autem dignus mercede ſua. 1. Timoth. 5. & nemo tenetur ſervire proprijs ſtipendiis. c. ex officij debito, extra, de præſcript. qui textus optimè facit contra aularum quarundam conſuetudinem, ex quibus incidentia negocia literatis vel etiã nobilibus ruri degentibus, ſine ſalario, cumq; detrimento rei familiaris expedienda committuntur. Militibus etiam Iohannes Baptiſta ſtipendia concedit, Lucæ 3. & jure belli quis recte acquirit, ita ut quæſita fiant occupantis. l. ex hoc jure. ff. de juſt. & jure § item quæ ex hoſtibus. Inſtit. de rerum diviſione. l. naturalem in fi. ff. de acquir. rerum dominio. nedum mobilia, ſed & immobilia. probatur in l. ſi captivus. §. 1. ff. de capt. & poſtl. rer. Vide Socinum Iuniorum in l. 1. nu. 46. ff. de acquir. poſſeſs. ubi id ampliatur in duobus caſibus, & limitatur in quinq;. Natura autem nihil eſt proprium

Digitized by Google

prium aut privatum, ſed aut veteri occupatione, ut qui quondam in vacua venerunt, aut victoria, ut qui bello potiti ſunt. Cic. 1. de offic.

Decimo ſexto, Milites debent eſſe contenti ſuis ſtipendiis Luc. 3. & neminem concutere. l. 1. & 2. ff. de concuſs. alias pro latronibus habentur. Iaſon in § ex maleficiis col. 2. Inſtit. de Action. Angel. Inſt. de teſtam. milit. circa fin. Ita Doctor & Advocatus, adde & Conſilarius, qui militare dicitur ad latus principis, l. verum, § ex facto. ff. de minor. l. juriſperitos, ff. de excuſat. tutor. ſit contentus ſuo ſalario, nec manus extendat ad iniquitatem. Iohan. Andr. in c. quanto, extra, de jurejur. ubi mali conſiliarii regis Arragoniæ, deceptores vocantur. Præcipue verò Advocatus de quota litis paciſci prohibetur. l. quiſquis § præterea nullum, & l. ſi qui. C. de poſtulat. l. ſi contra, C. mandati. l. litem C. de procurat. l. ſumtus, ff. de pactis. l. ſi remunerandi, § fin. cum l. ſeq. ff. mandati. Et quidem ſub pœna falſi, ſi cauſam obtinuerit. l. 1. § 1. ff. de falſ. tam civilē quàm criminalem. l. ex Senatus ff. de vi priv. notata in l. 1. § 1. de calumniat. ubi gloſsa. Quod tamen hodie propter inopiam miſerorum clientum malè videmus obſervari. Sed væ tibi qui ſpolias, quia ſpoliaberis. Eſaiæ 33. Ideoq; in judicio Cameræ taxantur ſalaria, Iurant quoq; procuratores & advocati, quando recipiuntur, quod ultra taxatam à Iudice ſummam, nihil à partibus velint exigere, ut habetur in Ordinat. partis primæ Tit. 36. cum ſeq. & Tit. 46. eadem parte. Ratione tamen palmarii, id eſt victoriæ, pactum vel ſtipulatio valet,

Tex. in

Tex. in l. 1. § litis ff. de var. & extraord. cognit. atq; eo nomine vel certi condictio, vel ex ſtipulatu actio, vel officium judicis competit, gloſs. notab. in l. unica, verb. conſtrinxerint, C. de ſuffrag.

Decimo ſeptimo. Doctor eſt egregia per-
119. ſona. gl. in l. ad egregias ff. de jurejur. quod antiqui fruſtra ad ſcientiam ſufficientem & artis exercitium reſtringunt, Vltra d. l. ad egregias fa. l. medicos, C. de profeſs. & medic. lib. 10. Hinc Doctor Dominus appellari debet, gl. in l. 1. in princ. ſi cert. peta. l. ſancimus, ibi, Dominus Vlpianus, ff. ad Trebell. Felin. in Rubr. de Magiſtr. col. 2. quia eſt in dignitate, vel propter jurisdictionem, quam habet in ſcholares, c. quanto, extra de magiſtr., ubi Panormi: & idem in c. propoſuiſti ad fin. extra, de probat. Iaſon in l. ſi quis in conſcribendo. C. de pactis. Decius conſil. 68. col. 2. & Doctorali dignitate nihil altius, nota. in l. 1. C. de conſul. lib. 12. & Bart. in l. omnes. C. de decur. lib. 10. & l. ult. C. de Iudæ. Haud aliter miles, præſertim centurio vel cohorti præpoſitus, non eſt perſona vilis aut privata l. quisquis in princ. C. ad l. Iul. maieſta. Cum ergò dignitas prodeſſe non obeſſe debeat. Roland. à Valle conſil. 83. nu. 8. vol. 2. Vterq; de dolo non convenitur, ſed actione ſaltem in factum non famoſa, propter excellentiam dignitatis. l. non debet. ff. de dolo. Neuter perſonaliter pro debito capi vel incarcerari poteſt. Bald. in l. fin. C. qui bon. ced. poſs. ut nec uxor vel liberi. d. l. medicos, ubi Bart. Adde Matheſil. notab. 59. incip. nota quod Legũ Doctor. Nec ob delictum vel crimen perpetratum, excepto tamen caſu legis Iuliæ majeſtatis l. nullus. C. ad

C.ad l. Iul. maieſt. Cyn. in l. milites. C. de quæſtion. Vlterius Doctor tanquam perſona privilegiata non poteſt torqueri aut puniri morte, l. fin. C. de malef. & mathem. Nulla generali conſuetudine obſtante, Ias. in l. de quibus nu. 66. in fi. ff. de legibus. Hippolytus in Practic. Criminali §. expedita, nu. 20. & §. diligenter, nu. 135. Petrus à Duenas reg. 190. ampliat. 4. Niſi degradetur, alleg. l. fin. C. de malef. & mathem. ibi, dignitatem exuit, Cynus in d. l. milites. Ita & miles, niſi inſignibus nudetur. Bart. in l. 2. § ignominiæ cauſsa. ff. de his qui not. infam. l. 1. § ſed ſi cum ff. eodem. Iaſon in l. 1. C. de iur. & fact. ignorantia, ſicq; reatus excludit honorem, Bald. in l. 2. C. de his qui not. infam. Neutrum tamen obſervari conſtat, Tiraq. tractat. de Nobilit. cap. 20. num. 139. Matth. de Afflictis in c. 1. § ſi voluerit, nu. 14. de Capit. qui cur. vend. in vſibus Feudorum.

Decimo octavo, Miles vacans armis non cogitur ad tutelam, niſi filiorum commilitonis, per l. ſed miles, in princ. ubi Bart. ff. de excuſat. tut. Iuriſperitus etiam à conſilijs Principum, vel cui Princeps curam alicuius rei commiſit, à dativa cura & tutela excuſantur, l. iuriſperitos ff. de excuſat. tut. & curat. Donec videlicet adminiſtrat & manet in obſequio Principis. l. 1. ff. de offic. eius, cui mand. eſt iuriſd. Et ſic ceſſante cauſſa ceſſat effectus, c. cum ceſſante, de iureiur. Cum verò ſervit Principi, publica utilitas eſt anteferenda privatæ, nota Dd. in § item Divus Inſtit. de excuſat. tut. & curat. Item excuſantur Dd. ſi Romæ vel in publicis Gymnaſijs profitentur, l. 120.

ſed reprobari, ff. de excuſat. tut. Sic omnes quoque Philoſophi propter ſcientię raritatem habent excuſationem à tutela, d. l. reprobari, in princ.

Decimo nono, Ambo tenentur ad collectas civitatis in caſu neceſsitatis, & cum agitur de
121. commodo publico, Bald. in l. penult. C. de teſtam. mil. & in l. placet, C. de ſacroſ. Eccleſ. nota. in c. non minus, de immun. Eccleſ. l. profeſsio. C. de mun. patr. lib. 10. Bart. in l. medicos. C. de profeſs. & med. lib. 10. Aliàs æquius eſt non teneri, Guido Papa quæſt. 88. num. 1. & 2. Quod rurſus non procedere credit in recipiente gradum Doctoratus ex reſcripto vel diplomate, per nota ta in l. ſi. ita quis, § 2. ff. de lega. 2.

Vigeſimo, A muneribus tamen reſiquis & oneribus, præſertim perſonalibus uterq; eximi-
122. tur. Quodq; Doctor legens in patria ſit immunis cum uxore, liberis & tota familia, textus eſt in l. medicos. C. de profeſs. & medicis. Imò & actu non legens, ad quod vide Guidonem Papam. quæſt. 388. num. 5. Vt etiam miles, præſertim veteranus l. 2. & 5. ff. de privil. veter. Sicut & gabella de rebus ad exercitum delatis non perſolvitur. l. licitatio § res quæ, & ibi Bart. ff. de Public. Bald. in auth. qua in provincia. C. ubi de crim. agi oportet. Idem locum habet in ſupellectili rebusq; ſcholarium & Doctorum, de quibus pædagium vel gabella non datur. Bald. in alleg. auth. habita l. omnibus, ubi Salicetus. C. de vectigal. & commiſs. Socinus conſilio 247. incip. circa primum, Doctor utitur etiam vehiculis in

Digitized by Google

in urbe, in qua eſt Imperator, & ſi viginti annis docuerit, comes eſt & vicarius imperij, Remiſsive M. Mantua Benavidius lib. 5. Polymathiæ. ca. 4. Vbi multa in hac materia reperies non contemnenda. Et Iacobus Menochius Doctor quoq; meus, contra communem tamen ſentiens & concludens lib. 2. de arbitr: iudic. cent. 1. caſ. 68.

Vigeſimo primo, ſtipendia militum non ſunt capienda pro executione ſententiæ, niſi in ſubſidium, ut nec Salaria Doctorum & Advocatorum, gloſs. in l. ſtipendia. C. de execut. rei iud. Item ut miles non poteſt conveniri niſi in quantum facere poteſt, ita nec Doctor. l. miles in princ. cum gloſs. ab omnibus probata. ff. de re iud. plenè Felinus in c. cum ex officij col. 1. de præſcript. 123.

Vigeſimo ſecundo, Vitia accidentalia, ut morbi, ex quibus miles ſperatur convaliturus, non extinguunt honorem militiæ, ſicut nec furor ſuperveniens. l. qui furore, ubi Bart. ff. de ſtatu hom. Quod eousq; extenditur, ut vaſallus mutus & ſurdus feudum antiquum poſsidere queat, quæ mens eſt c. 1. An mutus vel ſurdus, in vſibus Feudor. Imò etiam novum, ſi Princeps faciat gratiam; & de illo feudo nulla ſervitia præſtentur, Zaſius de ſucceſs. feudi, num. 68. Secus in defectibus naturalibus, quia naturalia ſunt immutabilia, § ſed naturalia. Inſtit. de iur. nat. gent. & civili. Adde Artic. 4. lib. 1. Landtrecht de Nanis, ubi gloſs. Sed in accidentali morbo nihil communius, quàm milites ex vulnere reſtitutos denuo bellum ingredi cum maiori audacia. 124.

O 2 Sic Ziſca

Sſcziſca Bohemus ætate ſuperiore, licet utroq; lumine orbatus, officia tamen ſtrenui Ducis fortiter obibat. Æneas Sylvius in hiſtoria Bohemica cap. 38. & 44. & Iohannes Bohemiæ rex, quanquam cæcutiret, in Galliam militatum profectus, ibiq; in prælio contra Anglos ad Creſsiacum eſt interfectus, Paulus Æmilius de geſtis Francorum, in Philippo Valeſio. E numero literatorum Homero patri vatum tantum cæcitas profuit, ut propter divina carmina decem urbibus inſignibus materiam de patria ſua contendendi relinqueret. Plutarchus in vita Homeri. Nicaſius à VVerda Mechlinienſis celebris Inſtitutiſta triennis oculis captꝰ, velut alter Didymus Alexandrinus pro grandi miraculo inclaruit Imperatoris Friderici III. principatu, Iuraq; Coloniæ eſt interpretatꝰ. Trithem. Spanheim. Noſq; Franducium cæcum Bononiæ honorifico ſalario publicè philoſophantem cum admiratione audivimus.

125. Vigeſimo tertio, Filiisfamilias, Principum Conſtitutionibus ad exemplum peculii caſtrenſis privilegia conceſſa ſunt in his, quæ honeſtis militiæ togatæ laboribus parant & lucrantur. Bald. in l. fin. in princ. C. de bonis quæ liber. Ideoq; peculium quaſi caſtrenſe vocantur, Inſtit. per quas perſon. nob. acquir. l. ult. C. de inoffic. teſtam. in princ. Everh. in Topicis, loco, ab armata militia.

Vigeſimo quarto, Magiſter vel Doctor non
126. confert lucrum ſeu mercedem ſuam cum fratribus & cohæredibus, nec etiam libros. Bald. in l. ſi donatione, col. 3. C. de collat. non aliter ac miles ſuum peculium caſtrenſe, ſive terra ſive mari ſit in

expedi

Digitized by Google

expeditione, idem Bald. in l. cum oportet. C. de bonis quæ liber. Et quemadmodum miles liberè de caſtrenſibus teſtatur. l. ex militari, § ſi filius. l. ſi certarum § ſi pater ff. de milita. teſtam. Ita miles inermis vel Doctor de ſuo quaſi caſtrenſi peculio liberè diſponit in ultima voluntate. l. fin. C. de inoffic. teſtam. ſervata tamen juris ſolennitate. § in his d. l. fin. ibi, ultima ſecundum leges condere elogia.

Vigeſimo quinto, Vterq; facilimè corrumpitur otio, ideoq; diſciplina indiget, & à teneris arti debet aſſueſieri. Vterq; auxilio divino opus habet, juxta dictum Salvatoris Iohan. 15. Sine me nihil poteſtis facere, multo item ſudore, nec ſine vitæ periculo ad metā laboris pervenit, ſummaq; corporis & animi contentione vitam conſumit, Horat. de art. poët. & d. auth. habita. Nec ſanè minor animi magnitudo in ferendis laboribus & miſeriis ſcholaſticis, quàm in armorum exercitio deſideratur. Si tamen quieti ſe dare voluerint, per honeſtam miſsionē, quam triplicem facit Azo 127. in Summa Cod. De iis qui non impletis ſtipēdiis, nu. 1. & 2. poſſunt impetrare vacationem, & literatus quidem vitæ privatæ reddi, miles verò cingulum deponere, l. nemo. C. ubi de ratiociniis agi oporteat, etiam ingredi religionem, ut Tit. de Vaſallo milite qui arma bellica depoſuit, in uſibus Feud. lib. 2.

Vigeſimo ſexto. Infirmo militi aut Doctori debetur ſtipendium & ſalarium promiſſum. Specul. de ſalar. § 1. verſic. quid ſi advocatus. Ita qui- 128. dem, ut licet ſalarium initio anni Advocato ſolutum ſit ob impedimentum ſuperveniens, repeti

 non

non poſſit, per Text. notab. in l. 1. § Divus Severus ff. de var. & extraord. cognit. & glos. ibidem, in verbo, repeti, & Tex. expreſſum in l. qui operas, ff. locati, ubi dicitur quod Advocati, ſi per eos non ſtetit, quo minus agant cauſſam, honoraria reddere non debent. Eadem ratione profeſſoribus tempore peſtis non legentibus, totius anni ſtipendium debetur, Decius pulcrè conſil. 70. nu. 1. cum ſeq. Dummodo non ſit contractum cū Advocato vel Profeſſore ſub certa conditione, utpote ſi operæ præſtentur, tunc enim conditionis exiſtentia requiritur. Cyn. in l. penult. nu. 2. C. de condict. ob cauſam. Textus in l. in illa ſtipulatione § ſi Calendis ff. de verb. oblig. & in l. cedere diem § ſub conditione ff. de verb. & rerum ſignificat.

Vigeſimo ſeptimo, Mortuo militi ſuccedit
129. hæres legitimus, not. in l. ſi quis à filio § eius qui & ibi Bartol. ff. de injuſt. rup. teſtam. Ita ad relicta bona militum Iuſticiæ & omnium togatorum ſuus hæres admittitur, l. his ſcholaribus, & l. penult. in fi. C. de erogat. milit. anno. lib. 12. Ampliatur, ut etiamſi Doctor legens, medio anni tempore moriatur, totius tamen anni ſtipendium tranſmittat ad hæredes. Bald. in l. 1. C. de ſuffrag. relatus ab Iaſone in l. diem functo, nu. 40. ff. de officio aſſeſſor.

Vigeſimo octavo, Cæteri litigantes coram judice ſedente ſtare debent. fa. l. 1. & l. à procedente. C. de dilat. l. quisquis in fi. C. de poſtulat. no-
130. biles tamen & Doctores invitantur ad ſedendum. l. 1. C. de offic. civil. jud. glos. in Authent. Vt ab illuſtribus, verbo, incuriam, quando videlicet ipſi non-

non poſtulant, juxta celebrem textum in l. fin. C. de offic. diverſ. judic. Quinimò miles & literatus excellens non tàm apud ſuos quàm apud exteras nationes eſt in admiratione, & æternam famam conſequitur. Scipionem majorem in villa ſua propter Linternum latitantem Piratæ quoq; videre cupiebat. Et nobiles viri ab extrema Hiſpania & Gadibus in Italiam, non Romam, cujus tum potentia erat maxima, ſed Livium propter eloquentiam lacteam, videndi & alloquendi cauſſa commeabant. Ac tanta eſt ſcientiarum pulcritudo, ut mirabiles ſui amores in ſexu quoq; imperfectiore excitet. Et literis quidē leguntur excelluiſſe Roswida virgo Saxonica temporibus Lotharij Imperatoris, quæ cùm orationes non vulgares & Comœdias ſcripſit, tùm res à tribus Othonibus geſtas heroico carmine eſt cōplexa. Item Eliſabeth Abbatiſſa Germanica, cujus ad Veſtales ſuas opera complura cum libris aliquot Epiſtolarū à viris doctis evolvebantur non ſine admiratione, cum Italia literas Latinas ea tempeſtate penitꝰ amiſiſſet. Sed in eadē Italia poſtea Baptiſta Galeatij Malateſtæ Piſauri Domini filia, Guidoni Montefeltrenſi Vrbinatium Duci nupta, non pauca ingenii ſui monumenta, & in his libros de vera Religione & humana fragilitate reliquit. Iſota Novarola puella Veronenſis eloquentia ſtudiisq; Theologicis non minus claruit, ut ejus libri ad Nicolaum V. & Pium II. Pontifices Romanos teſtantur. Caſſandra Fidelis virgo Veneta ingenii præclariſsimi in Gymnaſio Patavino patrum ætate publicè ſæpe diſputavit, cujus & hodie liber extat, 131.

De

De ordine ſcientiarum, teſtis ingenij & doctrinæ luculentiſsimus. Olympia Fulvia Morata Ferrarienſis, mulier ingenioſiſsima, & literis excultiſsima noſtro tempore vixit & obijt in Germania, cuius habentur orationes & aliæ lucubrationes eruditiſsimæ. Quibus omnibus Eliſabetham Angliæ Reginam ſereniſsimam, laude ſapientiæ ut olim Martia Proba conditrix Legum Britannicarum quoq; fuit, & lingvarum plurimarum cognitione celebratiſsimam non tam annumeramus quam præferimus. Eundem ad modum multæ fœminæ viriles animos inductæ, præſtantiam bellicæ fortitudinis affectarunt. Chlælia Romana inter cæteras virgines Porſennæ obſes data, nocturno tempore cuſtodias egreſſa conſcendit equum, celeriq; traiectu fluminis non ſolùm obſidione, ſed metu quoq; patriam ſolvit, viris puella lumine virtutis anteferenda, Valer. Max. lib 3. cap. 2. Fertur & vetus illud caſtellum ad Albim, in cuius locum Magdeburgenſis urbs deinde eſt ædificata, ante Othonis Magni tempora à virginibus fuiſſe poſſeſsum, unde & circumiacentem regionem domuerunt, viris demum rurſus cedentes. Hinc eſt quod Magdeburgenſes in inſignibus & vexillis ſuis adhuc virginis erectæ ſimulacrum geſtant, & uſurpant, gloſs. clara art. 20. Weichbildt.

Pentheſilea Amazonum, & Zenobia Palmirenſium regina, item Valaſca Bohemica virorum iugum excuſſerunt, & illorum profligarunt exercitus aliquandiu, nihil curantes, fœminas incapaces eſſe regnorum, ut & feudorum reliquorum, Etiamſi enim fœmina quæpiam, velut altera Camilla

milla, de qua Virgilius 11. Aeneid. ita ſit armis aſſueſa-
cta, ut Domino perſonaliter ſervire poſsit, quod eſt in-
ter ſubſtantialia feudi requiſita, plures tamen ſunt ra- 132
tiones, quare fœmina regulariter non ſuccedat, quas
adfert Bald. in l. quoties. C. de ſuis & legit. hæred. ut eſt,
honeſtas publica arg. l. primæ ff. de poſtul, fragilitas
conſilij, c. forus extra, de verb. ſignific. lubricitas voti,
nam quater mutatur in hora, & periculoſitas ſecreti,
quod retinere non poteſt. Licet igitur ceſſet prima
ratio, videlicet, quod ſervire non poſsit, remanent ta-
men aliæ quatuor, quo caſu ſuccedit illa Regula, quod
quando duæ vel plures rationes ſint eiuſdem diſpoſi-
tionis, ſi una eſt ſublata, & aliæ non, habeat adhuc lo-
cum ipſa diſpoſitio. § affinitatis Inſtit. de nupt. Adhæc
ſi ſufficeret ad excluſionem fœminæ, quod pugnare
non poſſet, ſequeretur eius, filium admitti, cum in illo,
hæc ratio ceſſet. Sed conſequens eſt falſum. c. primo §
hoc quoq; Tit. 1. in vſibus Feudor. Ergo & Antece-
dens. Ita tenuit Laudenſis, Alvarottus, & omnes con-
tra Iſerniæ limitationem in d. c. 1. § & quia vidimus:
Tit. 1. arguentis à ceſſante ratione per l. adigere. §.
quamvis ff. de iure patronat. Fallit tamen rurſus, quod
de fœminarum excluſione retulimus, ſi in literis inve-
ſtituræ de illis nominatim, & in ſpecie fuerit actum. c.
1. de natur. ſucceſs. feud. c. 1. § ad filias, de ſucceſs. fra-
trum: Vi enim eius pacti unâ cum maſculis admit-
tuntur, vel æqualiter, ſi ita proviſum, vel ordine ſuc-
ceſsivo, quem videlicet natura iuris feudalis importat.
Zaſius in tit. de ſucceſs. feudi. Verbis autem ge-
neralibus verius eſt fœminam non contineri, utpo-
te omnium hæredum appellatione vel æquipollen-
tibus, nunquam enim cenſentur habilitare rem inha-

Digitized by Google

bilem l.2. §. quod ait prœtor. ff. qui ſatisd. cogantur, & probatur per c. ſecundum, de præbend. in ſexto, &
1. per c. quia periculoſum, de ſentent. excommun. ibid. Secundo fallit, ſi feudum eſſet fœmineum, per text. in d. c.1. de natur. ſucceſs. feudi, ſi enim principio habuit illam qualitatem, eadem removeri non poteſt amplius, arg. l. pater § quindecim ff. de lega. 3. Intellige tamen id habere locum, quando maſculus non extat, ſed fœmina ſola eſt, item ſi Dominus forſan propter egregia patris ſervitia inveſtiret, vel ſi filia patre mortuo feudum redimeret, à Domino, Ter. eſt in c.1. quemadmodum feu. ad fil. pertin, qui textus iuxta modernos tam de antiquo quàm novo feudo, quod tamen ad Dominum, non ad agnatos revertatur, debet intelligi. Tertio limitatur concluſio de fœmina, ſi eſſet in aliquo loco cõſuetudo, quod fœmina ſuccederet non exiſtẽte maſculo, ut in regno Siciliæ, ſecundũ Iſerniam in c. primo § & quia vidimus, de ijs qui feuda. poſs. item in Bohemia, Moravia & Auſtria, vel æqualiter unà cum maſculis, qualis eſt conſuetudo alicubi in Gallia, atteſtante Guidone Papa deciſ. 59. num. 2. & deciſ. 292. num. 2. & Fabro in authent. ingreſsi. num. 24. C. de ſacroſ. Eccleſ. In territorio verò Saxonico mulieres in feudo non ſuccedunt. c. 2. Lehnrecht, neq; ius dotalitij cùm domini conſenſu in aliquo feudo conſtituti ad hæredes transmittunt, ut ibidem.

Vigeſimo nono, Militi feudum conceditur, ut belli tempore præſto ſit Domino, eumq; iuvet & de-
133. fendat c. unico de nova forma fidelit. Feuda enim ſunt prædia militaria; quorum proprietas remanet

apud

Digitized by Google

apud dantem, uſusfructus autem tranſit in accipientem. c. unic. in quib. cauſ. feud. amitt. ubi habetur plena feudi definitio à Doctoribus communiter approbata. Sicut & olim agri ex hoſtibus capti veteranis in præmium virtutis aſsignabantur. l. Lucius ff. de eviction. unde fuêre, qui feudorum initia ad clientelas Romanas retulerunt, quarum & mentio fit in l. 3. ff. de uſu & habit. item in l. 3. §. ſed quod. ff. de penu legata. Verius tamen eſt feuda à Longobardis in Italia originem ſumſiſſe ex conſuetudine Germanorum, quorum deinde Ius poſt Imperatoris Conradi tempora cœpit in orbe Chriſtiano frequentari, Iulius Clarus in §. feudum, quæſt. 1. Molin. in conſuetud. Paris. Tit. primo in princ. num. 1. & ſeq. ſubdens hanc opinionem eſſe unicam & concordem. Alvarott. in prælud. feud. in 7. quæ & in c. 1. in princ. num. 3. de conten. inter dom. & vaſal. Similiter & literatis eorumq; hæredibus feuda à principibus conceduntur propter virtutem togatam, quia cum honore ſtare poſſunt in Curia principis; Vnde & dici poteſt, eos in ordinem militum recipi. ut in l. 2. ff. de orig. iur. legimus Sabinum Iureconſultum iam quinquagenarium in equeſtrem ordinem receptum, non quidem propter uſitatum cenſum quadringentorum ſeſtertiorum, pauper enim erat, & à diſcipulis ſuis ſuſtentabatur, ſed propter eruditionis excellentiam & raritatem, Et locum iusq; familiarum nobilium, morte nonnunquam deficientium, tamdiu obtinere, quàm diu bona illa retinent, idq; commodi publici gratia, Reſp. enim ſemper viris prçſtantibus, manu conſilioq; valentibus indiget. 7. Si prçſertim inveſtiantur expreſsè de feudo nobili ſeu Iuriſdictionis,

 ab

ab Imperatore vel Principe jus nobilitandi habente, quæ fuit ſententia Lucæ de Penna in l. mulieres. C. de dignitat. lib. 12. & Zaſij in cap. 2. 5. partis Epitomes feudalis. Quanto enim quis pluribus & majoribus vaſallis præeſt, tantò magis dignitas ipſius aucta cẽſetur c. his verò de conſecrat. diſtinct. 5. Adeo ut Bald. in c. ex ea, de lege Corradi, non dubitet affirmare, ruſticũ qui feudum nobile emiſſet, inde nobilem fieri. Quemadmodum Clerici quoq; ad feudi ſucceſsionem admittuntur, qui domino per Subſtitutum ſervire poſſunt, Textus, ubi Canoniſtæ, in c. ex tranſmiſſa, extra, de foro compet. idem probat gloſ. juris Saxonici articulo 14. lib. 1. & Mynſing. in 22. obſervat. Cent. 1. Et judex laicus cognoſcere poteſt contra Clericum de re feudali conventum, ſi ſit vaſallus, juxta Felin. in c. cæterũ. nu. 3. de judic. Guido Papa deciſ. 139. Archidiac. in c. 1. de cleric. conjug. lib. 6. Quod procedit non ſolum ſi vertatur quæſtio ſuper proprietate; ſed etiã ſuper poſſeſsione. Aretin. in d. c. cæterum, nu. 24. & Panorm. ibidem. Literatorum quoq; viduis ad ſimilitudinem nobilium viduarum ex bonis mariti feudalibus debentur utenſilia cum dotalitio & cibariis domeſticis, propter jus nimirum in illis bonis quæſitum, De quo paſſu videndus eſt Tiraquellus in Tractat. de Nobilit. cap. 7. juxta cujus doctrinam noſtris moribus accommodatam, pronunciatum meminimus. Etſi interim & hoc obtinet, talibus viduis, in defectu pactorum dotalium optionem competere tertiam vel quartam conſuetudine Provinciali debitam ex bonis hæreditariis petendi, quo caſu dotalitio & reliquis emolumentis per Statutũ Saxonicum introductis abſtinere cogitur, per gloſ. articul. 24. lib. 1. Landrecht.

134. Trigeſimo, Principes Chriſtiani, ut & olim pagani,

gani,

Digitized by Google

gani, ad neceſsitates bellicas non armamentaria tan-
tùm poſsident inſtructiſsima, ſed & Bibliothecas ex-
emplo Attalicorum & Ptolemæorum regum ſumtibus
maximis inſtituunt. Hodie quoq;, Dei beneficio ju-
ventus Germanica in ſcholis & Academiis, quas tamẽ
pauciores, ſed magis frequentatas optat Beatus Rhe-
nanus, cui ſubſcribit Ioſias Simlerus de Rep. Helvet.
lib. 2. eruditur, tùm ludis equeſtribus, item venationi-
bus ad labores caſtrenſes ferendos exerceri ſolet. Ali-
cubi in palæſtra dicit artem dimicatoriam, qua ratione
videlicet hoſtis framea, bipenne, conto, punctim vel
cæſim ſit impetendus, quomodo vitanda vulnera. Do-
cetur & ubivis ars exonerandi tormenta ad metã pro-
poſitã, & peritè ſagittandi. Ac in omnibus benè con-
ſtitutis Politiis altiſsima pace, militibus expertis & Iu-
reconſultis exercitatis annua ſtipendia numerantur, ut
eorum opera vel ſubitis tumultibus, vel cum de finibus
aut hæreditatibus inter magnates controvertitur, præ-
ſtò ſit.

Trigeſimo primo, Sed, ut nihil eſt ab omni parte
beatum. Horat. lib. 2. Carm. Ode 16. & nemo ſine vi- 135.
tiis naſcitur; ita quilibet horum rerum vicio laborat.
Armis homines efferantur, & culpantur in milite blaſ-
phemia, avaricia, luxuria, crudelitas inimica naturæ,
ebrietas, vindictæ cupiditas, dominandi libido, ut ſu-
pra quoq; docuimus. Scientia verò inflat c. niſi cum
pridem, de renunciat. Multis enim doctis, ac in his li-
terarum quoq; divinarũ profeſſoribus nonnullis, ma-
gnum quendã faſtum cum ambitione ac φιλαργυρία in-
eſſe, inficias ire non poſſumus.

Trigeſimo ſecundo, & ultimo, Multos inſignes
milites belliq; duces, & anteceſſores eminentiſsimos
de Rep. domi foriſq; præclarè meritos in maximas in- 136.

Digitized by Google

cidiſſe calamitates legimus. Ideoq; cum Lucano lib.1. de bello civili apud Pharſaliam fas exclamare.

Invida fatorum ſeries, ſummiſq; negatum
Stare diu, nimioq; graves ſub pondere lapſus.

Scipionis & Themiſtoclis exilio nihil notius, Valer. Max. lib.5. cap.3. Franciſcus Buſſonus à patria Carmaniola ſubalpinæ Liguriæ oppido dictus, Veneti dux exercitus, contra Philippum Mediolani ducem, vir fortiſsimus, Verona & Brixia iam captis, perfidioſæ cunctationis accuſatus, & in curſu rerum gerendarum Venetias evocatus, in foro Divi Marci ſecuri percuſſus eſt. Petrus Iuſtin. lib.7. Hiſtoriæ Venetæ. Imbercotus, quo apud ultimum Burgundiæ ducem Catolum ex nobilitate nemo tractandis rebus maximis magis erat idoneus, cæſo Principe, Gandavi ſupplicio capitali affectus. Philip. Cominæus. lib. 8. de geſtis Ludov. XI & Caroli Burgundiæ Ducis: Nec regio ſanguini quorundam ſævicia pepercit. Conradinus nepos Friderici Barbaroſſæ Imperat. Sueviæ Dux ultimus, poſt adverſam pugnam & unius anni captivitatem, à Carolo Andegavenſi Romani Pontificis inſtinctu cum Friderico Auſtriæ Duce in foro Neapolitano decollatus eſt, ut omnes illius temporis Scriptores annotarunt. Cuncti verò libentius & honeſtius in prælio cecidiſſent. Cum libertatis fortuna non minus inſolenter & acerbè luſit, Socrates oraculi teſtimonio Græcorum ſapientiſsimus, mori coactus. Val. Max. lib.7. cap. 2. Marc. Tullius Cicero fons eloquentiæ Romanæ actus eſt in exilium, & capite demum truncatus, Plutarchus in vita Ciceronis. Inter noſtros indignum ſanè vitæ exitum ſortiti ſunt, Papinianus, aſylum illud Iuris, ut à Iulio Capitolino nominatur, militum gladijs ab Antonio Caracalla obiectus, & ſecuri percuſſus. Aelius Spartianus in Antonio Caracalla prodigioſiſsimo

Digitized by Google

mo & impuriſsimo tyranno, Martianus à Didio Iulia-
no, pronepote Salvij Iuliani Iuriſconſulti, interfectus,
Idem Spartianus in Iuliano. Petrus de Vineis Capuanus, Iuriſconſultiſsimus, quiq; Friderici ſecundi Imperat. cauſam unus omnium fideliſsimè & diligentiſsimè ſummo ſuo cum diſcrimine egerat adverſus Pontificem Romanum, propter ſuſpicionem de ſtructis inſidijs Friderico Domino, coniectus eſt in carcerem, iam captus oculis, quo tandem ſeu deſperatione, ſeu metu ſupplicij gravioris, capite parieti illiſo miſerabiliter exſpiravit. Chron. Carionis lib. 5. in Frid: II. Azo Iuris quoq; peritiſsimus à Rolando Rubeo Bononiæ Prætore propter iniquam ſententiam, alij malunt propter homicidium, morte multatus, fruſtra allegans l. ad beſtias ff. de pœnis, quæ vult excellentib. in arte ſua parci debere. Hieron. Rubeus in Hiſtoria Ravennæ lib. 6. Andreas de Iſernia, inſignis Feudiſta, ſupra à nobis citatus, à Barone quodam Gallico, contra quem in regia Curia Neapoli pronunciaverat, ibidem ante portam Petruciam perfidè trucidatus eſt. Paris de Puteo. Tracta. de Syndica. c. de exceſſ. conſil. num. 14. Guilielmus Hugonetus Caroli poſtremi Burgundiorū Ducis Cancellarius, ſummæ vir auctoritatis, interfecto ad Nanceium principe, à Gandavenſibus cum Imbercoto, fruſtra intercedēte Caroli filia, capite plexus Comin. lib. 8. de geſtis Ludov. & Caroli. Otho à Pack ex equeſtri ordine Iureconſultus, cuius Petrus Moſellanus aliàs honorificè meminit, falſi convictus Antuerpiæ capitis pœnam luit. Sleidanus: Comment. de ſtatu Relig. & Reip. Carolo V. Cæſare lib. 6. Thomas Morus, auctor Vtopiæ, vir doctiſsimus, cum regni Anglici Cancellarius eſſet, quæ ſuprema dignitas ibi poſt regem eſt, & inſuſpectos de Lutheraniſmo graviter

ter animadvertiſſet, tandem verò divortiū regis Henrici VIII. cum Catharina Regina, & abrogationem primatus Pontificij in Eccleſijs Angliæ probare nollet, iamq; ad evitandum periculum ſe munere abdicaſſet, captus eſt nihilominus, & paulò pòſt Epiſcopum Roffenſem Londini capite multatus. Idem Schleidan. Comment. lib. 9. Plures aulicos ex utroq; ordine cum ignominia remotos, & adverſam fortunam perpeſſos recenſere poſſemus, ſed paucis erimus contenti. Vlpianus Iureconſultus ab Heliogabalo depoſitus, Aelius Lampridius in Heliogabalo Paulus Diaconus Aquileienſis Deſiderij ultimi Longobardorum Regis Cancellarius, unà cum Domino ſuo à Carolo Magno captus, ut ipſe memoriæ prodidit. Burcardus à Mangelfelt Theologus & Iureconſultus, ſacri palatij apud Othonem II. Imperat. exquæſtor, carceri incluſus, quo gloſſas ſuper Ius Saxonicum confecit, & Ius Magdeburgicum compilavit, gloſs. artic. 10. Weichbildt. Sicut & Hermodorum illum Epheſinum in Italia exulantē, Decemviris Legum duodecim tabularum Romæ ferendarum auctorum fuiſſe quidam retulerunt, l. 2. § ex actis. ff. de orig. iuris. Belliſarius & Narſes Duces famoſiſsimi & glorioſiſsimi, rebus maximis feliciter geſtis ab Imperatore Iuſtiniano fuerunt exauctorati, & in miſerias detruſi. Chron. Carionis par: 2. in Iuſtiniano. Philippus Cominæus in aula Gallica diu ſplendidè verſatus, demum coniectus eſt in vincula, & per triennium detentus. Interpres Cominæi in eius vita, & ipſe libro ultimo hiſtor. de bello Neapolitano. Conſalvus gentium Chriſtianarum conſenſu Magni Capitanei nomen adeptus, poſtquam regnum Neapolitanum, Gallis expulſis regi ſuo virtute & conſtantia ſingulari ſtabiliviſſet, repetundarum poſtulatus eſt, Iovius in ipſius

Digitized by Google

ipſius vita. Ferdinandus Corteſius auctor expeditionis in Hiſpaniam novam, demum contumelijs affectus, & in Ius pertractus eſt, Franciſcus Lopes in eius vita, quam Lingva Caſtellana ſcripſit. Recentioribus, aulicorum præſertim exemplis commemorandis, ſuperſedeo, ne frigidam ſuffundere videar, non poſſent enim non eſſe odioſa. Sicut & illos conſultò prætereo, qui propter veram pietatem loco moti vel interfecti ſunt, nec animus eſt hic inſtituere Martyrologium. At ſi liberet aulas tam Chriſtianas quàm barbaras noſtri ſaltem temporis, calamo pervagari, Deus bone, quanta malorum Ilias ſeſe offerret? quot exempla inconſtantiæ aulicæ, qualis & fuit apud Tiberium Seianus, apud Severum Severianus, Eutropius apud Theodoſium ſecundum, liceret enumerare? Cauſas eius infortunij tectas & latentes arbitror eſſe, tamen aliquas inveſtigare, & mixtim proponere non pigebit.
Aut enim ſummo gratiæ loco apud Reges & Princi- 137.
pes collocati, potentia favoriq; nimis confidunt, ut malis inextricabilibus involvantur; Aut laborantes invidia, quæ, ut homini connaſcitur, ita inter pares, vel apud inferiores quoq; facilimè ſolet oboriri, Bald. in l.1. C. de præſcript. 30. annorum. & felicitati Virtutiq; comes eſt individua, rerum faſtigio decedere coguntur; Aut fortuna divitijs & honoribus cumulatos tandem ſuo more deſerit, maximè in interitu Principum, quo magnæ certæq; fiunt rerum converſiones; Aut obruti mole arduorum negotiorum viribus deficiunt, & conſilio priſtino deſtituuntur, ſicut navim opprimunt ingentia onera, & optimi natatores plerunq; fluctibus abſorbentur, præſertim cum ſoli cuncta volunt expedire, nec ſocios rerum gerendarum ferre poſſunt, contra illud Homericum Iliados
[illegible]

κοιλῶτί ἐυ᾽ ἐρχομένῳ. Tunc enim væ ſoli, ſi cadet, nemo illum ſublevabit, Eccleſ. 4. Quibus annumeres haud immeritò ὕβριν, iniuſticiam, ſtudium privati commodi. Hinc videas nonnullos velut excæcatos, aut planè dementatos ruere extra metas, & aliàs Polybius lib. 9. hiſtor. Roma. non minus ſcitè quam verè dixit: acutiores novandis quam gerendis rebus aptiores eſſe. His accedit, mea quidem ſententia, aſsidua præſentia, quę faſtidium parit, nihil enim in hac vita tam eſt eximium, quod uſu non vileſcat, Decius in c. cauſſam quæ, in 1. Notab. extra, de iudic. Contemtus maieſtatis Imperij, cum plus miniſtri potentiores ſibi ſumunt inconſulto Principe. Mutata Domini voluntas, quæ ferè detegitur poſt ingentes divitias vel dignitates acquiſitas. Et hæc humana ſors videtur eſſe, cum rerum natura communis, ut quando ad ſummitatem perventum, quis conſiſtere non poſsit amplius, ſicut altius elatum tectum ventis quoq; magis turbatur, l. æquiſsimum, § inde Nervam ff. de uſufructu. Hinc benè Martialis.

Immodicis brevis eſt ætas, & rara ſenectus.

Secretorum divulgatio. Ira demum Principis aliquo facinore, vel dicto ſaltem inciviliore, Colacum flabellis accedentibus, ſumma enim petit livor, prævocata, ut pœna unius ſit aliorum metus, is enim ſæpe prætextus adfertur. Solent & magnates indulgere ſuſpicionibus humano more, cumq; auctoritatem ſuam ſtabilire nituntur, peccant in exceſſu nonnunquam, ſicq; iure ſuo nimis acerbè utuntur, ſicut & ex altera parte ad ſubditorũ delicta plus æquo connivent. Et hæc ſunt occulta potentiorum peccata, quibus ſibi & familijs pœnas accerſunt, Lutherus in enarrat. 12. cap. Geneſ. His omnibus aliæ Theologicæ rationes addi poſſunt. Prior, Cum coram Deo innocens non ſit innocens.

Exodi

Digitized by Google

Exodi 34. omnes homines afflictionibus ſubiectos oportet eſſe, ut in his exerceatur fides & Invocatio, Vexatio enim dat intellectum. Eſaiæ 28. Et, non tentatus, qualia ſcit? Altera, ut appareat, non omnia regi conſilijs humanis, quia ſcriptum eſt: Perdam ſapientiam ſapientum 1. Cor. 1. Quo magis cum Apoſtolo 1. Tim. 2. ſalus regum Deo commendanda, utq; magiſtratus & iuri præfectos ipſe gubernet, orandum, ne faciant officium ſuum negligenter, unde poſtea vicia abeant in mores, ubi demum, iuxta Senecam, remedij non ſit locus. Illorum verò miniſtri, ſive togatis ſive bellicis muneribus præpoſiti fuerint, in hoc ſint ambitioſi, ut propria faciant & neceſſaria. 1. Theſſal. 4. felicitatem 138.
ſucceſſuũ à divino numine, cui ratio adminiſtrationis aliquando reddenda, non aliunde ſperantes. Ita quidem fiet, ut in quacunq; calamitate ſe rectè factorum conſcientia ſuſtenterit, & nihil patiantur quod ad animæ ſalutem non valde conducat. Sed ne huic Labyrintho præter inſtitutũ implicemur, Dei iudicio, quod occultum, iuſtum tamen eſt, rem omnem permittemus.

Sequitur ergo tandem, literas & arma parificari; quapropter illis nihil coniunctius eſſe debebat. Quam 139.
conſenſionẽ & illud ſummopere ſuadere debet, quod ars bellica factis præclaris materiam literis ſuppeditat, vnde veteribus Hercules Muſagetes dictus, & communi templo cum Muſis cultus fuit; ut vicissim docti libenter produnt virtutis memoriam, quo ad poſteritatem ipſi quoq; fiant immortales. Hinc apparet, animos noſtros eſſe cœleſtes, omnes enim in ore poſterorum ſupereſſe ſatagimus. De utriſq;, id eſt, qui vel armis, vel in adminiſtranda domi Repub. Romana clari extiterunt Suetonius Tranquillus librũ edidit, item de illuſtrib. Grammaticis et claris Rhetoribus.

Digitized by Google

Hunc ſecutus Divus Hieronymus, de viris illuſtribus in Eccleſia Dei ſcriptum reliquit, ac noſtro ævo Paulus Iovius, tam virtute bellica quàm publicatis ingenii monumentis illuſtres viros ſplendidiſsimis elogiis eſt proſecutus. Huc facit doctos judicare de controverſiis militum, ut viciſsim milites belli tempore, vel altiſſima quoq; pace, in munitionibus urbibus eorum fidei concreditis, de literatis cenſuras agunt, id quod ſymbolum Pacis armatæ, nimirum Amazon quædam gladium ramis oleæ innexum dextra gerens, ingenioſe ſignificare videtur. Sic Leges & arma ſeparari nequeunt, cū mutuò auxilio indigeant. l. unica. C. de Iuſtin. Cod. confirm. l. qui reſtituere ff. de rei vendic. fa. & procem. Inſtit. Quodq; togata militia æquiparetur armata, traditur in l. advocati, & to. Tit. C. de advoc. diverſ. judic. ſicut libri & arma quoq; pacificantur, ſecundum gloſ. ſingularem in l. Nepos Proculo ff. de verb. ſig. & Iaſ. in § fin. Inſtit. de Action. Petrus Iacobus Ferrar. in practica, libello, de in integrum reſtitut. ut poſsit agi reſciſs. perſon. actione. Quod etiam Statuta de Nobilibus diſponentia, Doctores comprehendant, voluit Alex. conſil. 94. vol. 1. cum quo tranſit Guido Papa quæſtione 88. in deciſion. Gratianopol. Ac ſicut olim jus aureorū annulorum, nullis aliis quàm
140. equeſtris ordinis hominibus propter virtutem militarem conceſſum fuit, Cic. in Verrem lib. 5. Ita idem virtuti togatæ à principibus tributum; hinc eandem dignitatem Doctores in promotione vel renunciatione ſolenni adipiſcuntur, quo ipſo ex præſcripto Legum noſtrarum nobilitas confertur, ut Tit. ff. de jure aureor. annulor. Quodq; olim loco privilegii fuit, jam conditione libertinorum per Novell. 78. generali conſtitutione ſublata, omnibus libertis, ut & jus

Quiritum,

Digitized by Google

Quiritum, eſt indultum. Vide Cujacium lib. 7. obſervat. cap. 14. Hinc videtur orta facultas illa geſtandorum armorum & imaginum à ſummo Principe conceſſorum, quæ quidem majorem dignitatem affert, quàm ſi quis ipſe ſibi arma ſumeret, ſicut dicimus de Teſtamento coram Principe. l. omnium. C. de Teſtament. 141.
Ideoq; ſi Quæſtio forte in exercitu vel alio loco incideret, Vtrum præcedere deberet, habens arma à Principe, vel à ſeipſo, præferendus eſſet, cæteris paribus, qui accepiſſet à Principe, per l. fin. ff. de alb. ſcrib. & c. per tuas, extra de major. & obed. fa. l. ſi duas, ff. de excuſat. tutor. Ita Bartolus noſter, ut ipſe refert in Tract. de Inſign. & armis, nu. 3. in legatione pro communitate Peruſij à Carolo IIII. Imperat. Piſis inter cætera impetravit leonem rubeum cum duabus caudis 142.
in aureo campo, & unâ jus legitimandi ſcholares auditorij ſui natos ex quocunq; illicito vel nefario complexu, pro ſe ſuiſq; deſcendentibus, quos contingeret eſſe Legum Doctores, ut idem auctor eſt in re & fama difficili. l. Gallus §. forſitan, ff. de liber. & poſthum. Notandum quoq;, Doctores & Nobiles in Imperiali Conſiſtorio Spiræ panibus frui ſtipendiis, ut habetur in ca. 43. par. 1. Ordinat. Cameræ Anno 55. Vidit & 143.
ætas noſtra, literis alioquin iniquiſsima, Doctores promotos, non ſolùm in Hierarchia Romana, cui non pauca regiones parent, & Venetiis in throno Ducali 144.
celeberrimo; ſed in ipſa Germania potentes aliquot Epiſcopos ex literatis, ut in Franconia Licentiatum, & in Sileſia Doctorem. Sicut & in his regionibus Papatum non agnoſcentibus Doctores & Licentiati unâ cum nobilibus adhuc in Capitulares Eccleſiarum Cathedralium, temporali aliàs Domino ſubjectarum, deliguntur, & ad præpoſituræ vel Decanatus apicem pa-

 riter

riter aſcendere conſueverunt. Quod ſententiam noſtram non parum confirmare videtur. Fugien dæ itaque contentiones honorum, gradusque potiores, virtuti, cuius præmium eſt honos, & cui, ut ille aiebat, omnia parent, tribuendi, ſine invidia, qua totæ Reſpublicæ deſtructæ leguntur. Cum revera honor ſit in honorante non in honorato, & certamen pulcherrimum ſit, quod de humanitate ſuſcipitur. Mihi quidem intuenti confuſionem rerum humanarū, & formas regiminum, quæ paulò antè optimè conſtituta videbantur, dictum Platonis Philoſophorum Dei, ſolet occurrere; Qui contendunt de honoribus in Rep. ſimiles ſunt naucleris concertantibus, quis eorum navis debeat eſſe gubernator, quod absq; omnium periculo fieri non poteſt. Ideo autem ſtudent homines, ut fugiant æmulationes & inanis gloriæ cupiditates, ac veteres præcipitabant honorem ſequi, non verò expetere. Ambitus etiam vel prava honoris affectatio Romæ ſeuerißimis Legibus cohercebatur, Cicero 2. de Orat. Et Iure Canonico peccatum eſt quærere dignitatem, legibus aut moribus introductam. Si enim omnes corporis & ingenij dotes, cunctaq; decora externa perpendantur, intelligemus ad ſalutem vitæq; tranquillitatem non uſq; adeo eſſe neceſſaria: Augenda ergo potius cura pietatis, & minuenda ſollicitudo rerum periturarum, inprimis autem ſpecioſæ illius moleſtiæ, quam cum potentia acquiſita arctißimè videmus eſſe coniunctam. Scriptum eſt, Omnia ad gloriam DEI facite, ad Coloſſ. 3. hac meta, hic ſcopus omnibus Chriſtianam religionem profitentibus propoſitus eſſe debet, cætera quantum magna non tantùm intereunt nobiſcum, ſed in medio ſæpe curſu ſe ſubtrahunt, & evaneſcunt. Nihil ſuavius aut utilius eſt bonorum coniunctione ac ut oculi bini

con-

conditi ſunt, ut pedes à natura gemini producti, quo ſe mutuo adiuvent, nec impediant; ſic cives bonos conſilia & animos ad perſeverationem Reip. conferre decet, quisque verò ſua procuret, & exequatur. Sicut in navis gubernandæ ratione alia in proſpera navigatione uſus eſt, alia in adverſa tempeſtate; ita cum humana omnia fluxa ſint & viciſſitudinaria, ac in perpetuo motu verſentur, artium varietate eſt opus, & quodam temperamento. Non mirum ergo leges modo condi, modo antiquari, prout tempus deſiderare videtur. Hinc ea quæ aliquando iuſta fuerunt, aliquo caſu in precio eſſe deſinunt, & leges belli tempore latæ, pace ſecuta rurſus abrogantur, Vt Philoſophi nonnulli non immeritò ambigant, an eadem ſit hodie Reſpublica, quæ fuit heri vel nudiustertius, ut & de fluminibus ab illis, qui naturam ſpeculantur, quæri ſolet. Imò ſol fons lucis hodie mundum illuſtrat, cras nebulis operitur. Ac natura quidem comparatum eſt, ut potentiùs præſit imbecillo, ſicut corpori præcipere debet animus, rurſus in animo Princeps par eſt Ratio, quæ iram & libidinem temperat. In ipſo quoque corpore unum membrum principatum tenere volunt, quem alij cordi, alij cerebro attribuunt. Nonnunquam tamen, ut ſunt rerum vices & vitia, contrarium reperitur, ſicut etiam fœminæ pravè maribus aliquando imperant. Idem in animis hominum natura ſignificantius exprimit; Quod heri conſilium mirè placebat, hodie non ita, ſed aut reprehenditur, aut abijcitur omninò. Idipſum in rebus vita ſenſuque carentibus obtinet; ferrum uſurpatum ſplendet, neglectum priſtinū nitorem amittit, metalla æruginē trahunt, ſaxa corrumpuntur & ſeneſcunt.

Nec

Nec deſunt Exempla ad res, de quibus egimus hoc o-pere, pertinentes, equus hodie seſſori placet, cras of-fendit, Hic calamus ceu retuſus & inutilis modò à me ſeponitur, & cum alio permutatur, alio forte tempore voluntati meæ melius reſponſurus. Eundem ad mo-dum ſe habet hominum gubernatio, varijs Euripis & mutationibus obnoxia, ideo viris ad omnia tempora & momenta peculariter factis & accommodatis iuxta proportionem Geometricam indiget, quemadmodū corporibus humanis pro ratione morborum diverſa remedia ſunt admovenda. Nunc arma, modò literæ requiruntur, & neutra res ſine altera poteſt exiſtere, planeq; convenit Iuſticiam eſſe armis ſtipatam, ut in Muſico Inſtrumento diverſæ chordæ harmoniam ef-ficiunt. Pro ratione verò curioſis exactoribus red-denda ſufficere exiſtimo, illi, qui Rex ſimul & Sacer-dos eſt, & cum Patre ac Spiritu ſancto moderatur uni-verſa, quiq; duas homini manus dedit, placuiſſe, mun-dum duobus hiſce inſtrumentis, Armis videlicet &

146. Literis gubernari. Certum eſt enim Deum auctorem eſſe honeſtarum politiarum, ab eoq; regi adhuc ſum-mas, medias, & infimas in ea vocationes. Quapropter illi quoq; Reipublicæ noſtræ ſtatum, qua poſſumus a-nimi devotione, diligenter commendemus. Ad per-ſuadendam demum concordiam, ſat virium debet ha-

147. bere, Chriſtum verum Deum verumq; hominem pro ſingulis & univerſis tam literatis quam militibus eſſe mortuum. Is hanc ſibi gratiam vult referri, ut qui con-ſervi ſumus, mutuo quoq; amemus, quod ſi fieret, nul-lis opus eſſet legibus civilibus. Nam amor omnia ex-æquat, & nemo amans alteri præferri quærit. Vbi ſci-endum quoq;, honorem & gloriam terreſtrem ex ſo-la hominum perſuaſione ortum ſumſiſſe. Ac Servator

noſter

noſter iubens proximum diligere ut ſeipſum Lucæ 10. graviſsime ſuperbiam & arrogantiam deteſtatur, ut etiam Lucæ 14. & 18. Omnis qui ſeipſum exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur. Et Petrus eius Apoſtolus ait: Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. 1. Pet. 4. Item Paulus vas electionis ita præcipit: Honorationi alienæ non modo paria facito, verùm etiam præverte, epiſtola ad Rom. cap. 12. ac demonſtratur infinitis exemplis, fiducia ſui tumentes, aliosq; præ ſe contemnentes horribiliter cecidiſſe & è medio fuiſſe ſublatos.

Poſtremo non omittimus, in gente noſtra bombardas, ſic enim tormenta bellica vocantur à ſono, & artem Typographicam fuiſſe propterea inventas, ut hac duplici laude, doctrinæ ſcilicet & gloriæ bellicæ 148.
Germani reliquas nationes antecellere ſtudeant, quam ſi coniungent, Deoq; confident, non eſt, quare ſibi metuant, aut irruptiones externorum populorum fatalibus tamen regnorum mutationibus exceptis, magnopere pertimeſcant. Parùm verò obſtat, Paulum Iovium odio noſtræ gentis ſcribere auſum, Indos diu ante Germanos artis impreſſoriæ gnaros fuiſſe, & apud eos longiſsima folia introrſus quadrata ſerie complicari, cuius generis volumen Iohannes Rex Luſitaniæ Pontifici Romano transmiſerit. Simili enim ductus invidia bellicam laudem multis ſeculis continuatam & inculpatè poſſeſsam nobis adimere, & ad alias nationes transferre conatus eſt. Ita in uno vanus, nec in alio fidem meretur. Prædicta omnia animadvertens ſecumque perpendens, iuvenis quidam, cum quo notitia mihi peculiaris interceſsit, cùm bona præditus eſſet indole, & ad Remp. exemplo prædeceſſorum ſuorum aſpiraret, pro ſymbolo adoleſcentem dextra manu

R gladi-

Digitized by Google

gladium diſtinctum, ſiniſtra verò librum apertum præferentem & oſtentantem uſurpabat, cum hac ſuperſcriptione; HIS DVOBVS. Novi quoq; virum nobilem, latifundia fertiliſsima poſsidentem, amicitijs inſuper & auctoritate florentem, cuius avus, poſtquam apud Principem quendam Conſiliarij munere defunctus eſſet, domiq; ſuo in rerum omnium affluentia placidè conſenuiſſet, ante finem vitæ, monumentò ſuo ſenem equeſtri more armatum, aſpectu venerando, ſuper armaturam verò toga civili, quali Doctores in Italia & apud Gallos utuntur, veſtitum, fecit inſculpi, idem quod adoleſcens memoratus ingenioſè volens exprimere, ſimulq; liberis perfectæ virtutis exemplar poſt relinquere. Solent enim exempla domeſtica benè natos & rectè inſtitutos ad virtutem peculiariter incitare. Etſi virtus in ſe id præclari ſēper habet, & apud extraneos quoq; idem ſolet efficere, ut Themiſtocles Miltiadis trophæis ad laudis iter capeſſendam excitabatur, velut Alexandrum quoq; Macedonem, viſo apud Sigæum Achillis monumento in orbe habitabili debellando ardentiorem factum fuiſſe accepimus, qui & in medio rerum geſtarum curſu bonarum artiū oblíviſci non potuit, eoq; præpoſtera iudicia propter genus aut fortunam literas contemnentium manifeſtè reprobavit. Superiobus annecto Apophtegma, quod inter impreſſa, & emblematis illuſtrata Symbola Simeonis Gabrielij reperitur; EX VTROQVE CÆSAR; Quo ſignificatur, his duobus, armis ſcilicet & literis Iulium Cæſarem recto corporis ſtatu, ſemper rebus gerendis ſtrenue invigilantem factum totius orbis dominatorem. Cui conſentit alterum apud Claudium Paradinum, gladius nimirum pennis circumligatus, quia ad perfectam Rempublicam requiruntur, calamus, &

gla-

Digitized by Google

gladius; hoc eſt, deliberandis rebus conſilium, & ſite-
ræ; exſequendis gladius.

Declaratis iam ſtudio mediocri, quæ de Quæſtio-
ne propoſita mihi nunc quidem venerunt in mentem,
antequam perorem, denuo iuventus ingenua eſt ad- 149.
monenda, ut ſiquidem hominis perfectio, (loquendo
civiliter) in militari & Doctorali dignitate conſiſtit, d.
l. unica. C. de Iuſtin. cod. confirm. & in hac mundi po-
litia varia munia requiruntur utrobiq;, duab. his ſum-
mis artibus, pro cuiusq; tamen vocatione, citraq; fa-
ſtum, & partis alteræ contemtum ſtudioſe incumbant.
Ac milites aliquando futuri, illud probè ſecum per-
pendant, Remp. defendentibus locum in cœlis deſi-
gnatum, Cic. & Macrob. lib. 1. in ſomn. Scipionis, A-
lex. in l. frater à fratre ad fin. ff. de condict. indeb. Ri-
pa Tracta. de peſte, mihi charta, 44. Et hos qui pro
Rep. ceciderunt, in perpetuum per gloriam vivere, ut
eſt pulcer textus in § filij. Inſtit. de excuſat. tut. & cu-
rat. Vbi verò belli neceſsitas incumbit, id ita ſuſcipia-
tur, ut nihil aliud quàm Pax quæſita videatur, qua ni-
mirum iuxta Velleium, auctorem Latiniſsimum in
fragm. Hiſtor. Rom. lib. 2. vis legibus, iudicijs aucto-
ritas, ſenatui maieſtas viget, cultus agris, ſacris honos,
ſecuritas hominibus, certa cuiq; eſt ſuarum rerum poſ-
ſeſsio, vero enim verius eſt, Pacem certam prævalere
ſperatæ victoriæ, ideoq; illi ſemper conſulendum, cum
præſertim nihil habeat inſidiarum. Cic. 1. de offic. O-
mnium verò bellorum exitus incerti ſunt. Cicero
Torquato lib. 6. famil. epiſtolarum & Philip. 13. in qui-
bus civilia ſunt omnium perniciosiſsima, idem Atticum
lib. 8. Deinde licet ea quæ ſcimus, minima pars ſint eo-
rum quæ ignoramus, Barbatia in c. novit, extra de iu-
dic. & iuxta Apoſtolum 1. Corinth. 13. ex parte in hac

 vita

vita tantum cognoſcamus, adoleſcentibus Deus omnia dans ſapientiam Dan. 1. & 2. l. 2. ff. de legibus, inprimis invocandus, & artes Eccleſiæ ac Reipub. neceſſariæ integrè ſunt addiſcendæ, ut vel alijs eas aliquando viciſsim tradant, vel ad uſum communem privatim quoque prudenter referant, Sicut à Paulo ad Titum cap. 3. nominatim præcipitur, ut diſcamus utilia vitæ. Quam ad rem non tam vigiliarum condigna præmia & honores mundani debent invitare, quam cœleſtis illa remuneratio, de qua Daniel. cap. 12. Doctores fulgebunt, ut ſplendor firmamenti, & qui ad iuſticiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in ſeculum. Et ſic in æterna quoq; vita gradus erunt piorum, fa. ca. fin. extra de magiſtr. Diſcant itaq; in terris, quorum ſcientia perſeverat in cœlis, Tum intra metas vocationis permaneant, nec ſiti aliqua ſuperioritatis, quæ cum periculo præſentaneo coniuncta eſt, illecti, maiora viribus aggrediantur. Quicquid enim magnum eſt in terris, eſt abominatio coram Deo. Lucæ 16. Quid autem prodeſſet homini, ſi univerſum mundum lucraretur, & animæ detrimentum pateretur? Matth. 16. Marc. 8. & c. Matthæus, extra, de Simonia. Itaq; mihi iam in portu naviganti ſic liceat exclamare; O felicem Germaniam, beatam ſaxoniam, ſi nobili genere nati, & quorum opes ſunt in excelſo, quiq; alijs aliquando præeſſe debent, tempus ineuntis adoleſcentiæ, non ludis, alea, commeſſationibus, aut venatu perdant, ſed animum doctrinis liberalibus inſtruant, & exornent. Ita non tantùm ipſi rectè vivere, ſed alios iuſtè diſcent regere, corruptelas omnis generis, maximè in rebus fidei facilius deprehendent, ac honeſtam percipient inde voluptatem, ſapientiam politicam melius acquirent, & ſanctiſsimis Philoſophiæ præceptis inſtructi ſe continebunt

ſunt inter metas; ad ardua Principum conſilia, & felices Rerumpublicarum curationes, tam pace quàm bello fient aptiores, natalium inſuper ſplendorem factis præclaris & laudabilibus extendent & augebunt. Hæ ſunt Herculeæ columnæ, ad ſolidum decus veramq; gloriam comparatæ; his aliis itur in ſublime, hiſce vigiliis & ſudoribus celebritas & fama nominis paratur, & poſt ævi mortalis ſpacium relinquitur immortalis & æterna.

Et per hæc ſit finis impoſitus huic commentatiunculæ; in qua, ſine cortice, quod aiunt, nondum fuit. Si tamen ea doctiorum, & curis illiberabilibus minus occupatorum ſtudia commovero, ut rem totam copioſius, acutius, & verbis elegantioribus explicent, (nihil enim ſimul inventum & perfectum, & μιᾶς χειρὸς ἀσθενὴς μάχη,) operam me minime luſiſſe arbitrabor.

AVCTORIS

EPIGRAMMATA DVO

MATERIAM TRACTATVS HVIVS BREVITER COMplectentia.

I.

Nobilitas literata, Ad Philippum Ludovicum Comitem in Hanauu. ex lib. I. Epigram. anno ab hinc proximo editorum.

VT magis afficiunt argento mala locata
Aurea, lanx menſis plus velut inde nitet.
Aureus articulus ceu gemmam circulus ambit,
Quam Domino caram mutua cauſſa facit:
Artibus ingenuis ſic pectus nobile fulget,
Grandis & artifices ſplendor adornat opum
Aeaciden Phœnix inſtruxit, Iaſona Chiron,
Et Macedo coluit Magnus Ariſtotelem.
Sicq; Syracuſia iuvenem Plato rexit in urbe,
Nam bene ſtant manibus Principis arma, libri.
HIS bona conſiſtit Reſpublica nempe DVOBVS,
Et vicibus cedunt arma cruenta togæ.

II.

De armis bellicis à ſe in arce Noſcovicenſi coëmtis, ex lib. 2. Epigrammat.

QVid ſibi multiplici durus cum caſſide thorax?
Quid ſibi cum libris pendula tela volunt?
Deſine mirari vicinia, tempore priſco
Tecta caput galea, culta Minerva fuit.
Legibus armari ſic Iuſtiniane volebas,
Regnaq; ſic armis condecorata probas.
Bellica nemo foris promit feliciter arma,
Conſilium ſi non ſit prius acre domi.
Ergo priore loco ponantur Martia Iura,
Telaq; condantur civica, dum ſit opus.
Tum conferre manum medio iuvet æquore campi,
Tunc fuerit iuſtum, dulce piumq; mori.

F I N I S.

Digitized by Google

DISPVTATIO.

Vtrum bona Eccleſiaſtica, vulgò ſpiritualia dicta rectè poſſideantur à Laicis nec ne.

SVMMARIVM.

1. *Querela de iniuſta detentione bonorum ſacrorum.*
2. *Semel Deo dicatũ ad uſus humanos non eſt transferendũ.*
3. *Principi de bonis Eccleſiaſticis diſponendi, nulla facultas eſt conceſſa.*
4. *Loca pia exemta ſunt à ſeculari poteſtate & iurisdictione.*
5. *Nullum & invalidum æquiparantur.*
6. *Vnumquemq; de ſe oportet eſſe liberalem.*
7. *Sacræ res diſtinctionem patiuntur.*
8. *Emens Eccleſiæ res amiſſo precio ad reſtitutionem tenetur.*
9. *Similia bona invadens ſacrilegium committit.*
10. *Ea bona obtinens excommunicatur.*
11. *Ipſi clerici de [illegible]libus bonis diſponere nequeunt.*
12. *Laicis per ea minimè proſpectum eſſe, experientia docet, ideoq; ſaniores illis abſtinere.*
13. *Dare beatius eſt quàm accipere.*
14. *Abuſus tollatur, non res ipſa.*
15. *In Epiſcopo requiritur hoſpitalitas.*
16. *Nihil ſacrum ſine expreſſo DEI mandato.*
17. *Homo conditus eſt ad labores.*
18. *Filia in Papatu devoravit matrem.*
19. *Chriſti regnum non eſt temporale.*
20. *Singulari DEI beneficio lux Evangelij hoc ſeculo renata eſt.*

Alienæ

21. *Alienatio rerum Eccleſiaſticarum propter certas cauſſas eſt permiſſa.*
22. *Quomodo hodie reditus monaſteriorum in uſus meliores conuerſi ſint.*
23. *Qui ſint verè pauperes.*
24. *Dolus ſuus nemini patrocinari debet.*
25. *Nemo ius dicat in propria cauſſa.*
26. *Veritas erroribus geſtorum non vitiatur.*
27. *Ordinata caritas incipit à ſeipſo.*
28. *Euentus prudentiſſimum quemq; fallit.*
29. *Non deſunt modi vitam honeſtè tranſigendi.*
30. *Sacerdotes laborant auaricia.*
31. *Res de facili redit ad ſuam naturam.*
32. *Publica utilitas anteferenda priuatæ.*
33. *Nouiter emergentia nouo indigent auxilio.*
34. *Bona perinde ſunt ut animus poſſidentis.*
35. *Reditus Eccleſiaſtici quomodo ſint collocandi.*
36. *Templa non deformanda, neq; ſepulcra violanda.*
37. *Pauperum neceſſitas meritò ſubleuanda.*
38. *Factum reddi non poteſt infectum.*
39. *Qua ratione Bona ſacra hodie rectè poſſideantur à Laicis.*
40. *Quæ poſſeſſoribus modernis competant exceptiones.*
41. *Vetuſtas pro Lege habetur.*
42. *Salus populi ſuprema Lex eſto.*
43. *Res iudicata habetur pro veritate.*

TRACTA-

MULTORUM QUERELIS INCULcatur Eccleſiaſtica bona piis uſibus olim deſtinata, ad formam patrimonialium, vel etiam Feudalium reducta paſſim à Laicis injuſtè detineri; Nec veniam mereri Principes ipſos, qui ea propria auctoritate, velut à majoribus ſuis eò perperam translata, non tantùm ſibi vendicent, ſed nonnunquam venditionis titulo pro libitu alienent, & miniſtris quorum perſpecta fides, elargiantur, redactis in ordinem, qui per electionem iis legitimè præſidebant, & honeſtè fruebantur. Et ſanè rationibus hæ querimoniæ non deſtituuntur. Videndū itaq, utrum hæ ſimpliciter ita ſeſe habeant, & ſi qua ſuperſtitio, vel manifeſta falſitas huic inſit opinioni, à vero ut diſcernatur enitendum, ne triticum cum Zizaniis eradicetur, Matthæi 13. & unà cum tribulis precioſæ vites imprudenti falce amputentur; Quibus hinc inde conſideratis, dubiisq remotis, quid hac in re ſequendum, planum fiat. 1.

Pro Negativa rationes non inſulſæ videntur facere. 1. Semel Deo dicatum ad uſus humanos ulterius non eſt transferendum, c. ſemel. de reg. jur. in Sexto. Sacra enim res per Pontifices ritu ſingulari Deo conſecrantur. Hinc licet ædificium ſacrum diruatur, locus nihilominus ſacer remanet, l. in tantum §. ſacra ff. de rerum diviſ. § ſacra Inſtit. eod. Sic Divus Trajanus Plinio Secundo reſcripſit; Si ædes in periſtylio collapſa domus Claudio Cæſari apud Nicomedienſes facta eſſet, religionem ejus ſolum occupaſſe. Plin. lib. 10. Epiſt. Poſſumus. Ac de veteri ritu ſacrandæ ædis plura apud Alexand. Neapolit. lib. 6. cap. 14. & lib. 2. cap. 8. Cum ergò res hæ juris divini ſint, in bonis & patrimonio nullius eſſe poſſunt, nec earum dominium quis jure nanciſci valet, § univerſitatis. Inſtit. de rer. diviſ. 2.

2. Quæ jura cum ſint Univerſalia, ſummum Princi- 3.

S pem

*pem æquè ac ſubditos ligant, l. digna vox. C. de legibus, cui
nulla de rebus Eccleſiaſticis diſponendi facultas conceſſa c.
23. q. 3. ubi dicitur: Ad Imperatores palatia, ad Sacerdotes
Eccleſias pertinere.*

3. *Loca pia & eorundem bona ac jura ſunt exemta
ab omni ſecularium poteſtate & juriſdictione, quæcunq;
4. fulgeant dignitate, c. nullus, extra de for. comp. l. ſanci-
mus C. de Sacroſ. Eccleſ. Id ſi in* Imperatore *verum eſt, ut
per modo dicta patet; multò magis in principibus inferiori-
bus obtinet, qui ſunt eidem ſubjecti. l. deprecatio ff. ad
l. Rhod. de jactu, l. 1. cum ibi not. C. de ſumma Trin. &
Fid. Cathol. Quocirca Statutum quantumvis generale ad
Clericos non extenditur, c. noverit, cum ſimilibus de ſen-
tent. excommunic. authent. Caſſa. C. de Sacroſ. Eccleſiis.
§. item ſtatuimus, Tit. de Statu. & conſuetud. cont. lib.
Eccleſ. indultis, in Conſtit. Frid. Imperatoris. Qui juris-
dictioni temporalium non ſubjacent, tam in civilibus quàm
criminalibus cauſsis. c. ſi quis contra. extr. de for. compet.
cum multis concordantijs; & immunitatem habent à ve-
ctigalibus, collectis, & oneribus publicis omnibus. c. 1. &
2. extra de immun. Eccleſ. Clem. præſenti, de cenſib. au-
thent. item nulla. C. de Sacroſ. Eccleſ. ubi Doctores. l. re-
ſcripta § finali. & ibi Bartol. ff. de muner. & honor. Et
hoc propter defectum poteſtatis in illos, ut modo relatum.
Hinc liquet, emtores aut etiam donatatios harum rerum
verum & perfectum dominium conſequi non poſſe, cum pro
non emtis & non datis habeantur merito, utpote à non do-
minis accepta, apud quos neq; dominium neq; poſſeſsio fuit,
c. quod autem, de jur. patron. l. traditio, in princ. ff. de ac-
5. quir. rer. domin. Nullum enim & invalidum æquiparan-
tur in jure. l. quoties ff. qui ſatisd. cogantur. cum ſimil.
Cæterum Principibus aliunde ſuppetetur, quo beneficentiã
6. exerceant erga bene meritos, eosq; remunerent; cum de ſe
unum-*

Digitized by Google

unumquemq; oporteat eſſe liberalem. l. inter ſtipulantem, in princ. ff. de verb. oblig. Et quidem magis, quod invito poſſeſſore apprehendens & invadens id quod ſuum eſt, prædo in jure nominetur l. ſi ex ſtipulatione ff. de acquir. poſſeſſ. gloſ. in l. fundi, ead. l. nec ex vera. C. eodem. Ad quod ſecundum; res ſacras in duplici differentia conſtitutas 7.
eſſe. Quædam enim directè & ſimpliciter cultui divino dedicata ſunt, ut templa, calices, ornamenta, libri; quædã ad uſum aris ſervientium donatæ & ordinatæ. De utriſq; Regula eſt: Quod omnis obligatio & alienatio rerum Eccleſiaſticarum, tam mobilium quàm immobilium, monaſteriorum, hoſpitalium, & aliorum locorum piorum, ſive venditionis, ſive permutationis, ſive donationis titulo fiat, de jure prohibita ſit. l. ſancimus. l. jubemus, juncta authentica hoc jus porrectũ, & authent. multò magis. C. de Sacroſ. Eccleſ. tot. Tit. in Auth. & extra, de non alien. & permut. reb. Eccleſ. et Alvarott. in c. 1. in princ. qui feud. dare poſſunt. ubi diſertè, monaſterium infeudari non poſſe.

4. *Iure cautum eſt, ementem res Eccleſiæ, amiſſo pre-*
cio ad reſtitutionem teneri. d. l. jubemus. § ſanè, junct. § 8.
præterea, fructibus & acceſſionibus medii temporis nihilominus ad Eccleſiam ſpectantibus.

5. *Invadens Eccleſiaſtica bona, contra 7. Decalogi præce-*
ptũ peccat, et ſacrilegij crimẽ incurrit, licet eas ipſe cõtulerit. 7.
c. ſunt qui opes cũ tribus ſeqq. 17. q. 4. ejus pœna capitalis eſt. Paulo in l. ſacrilegi, ff. ad l. Iuliã pecul. et de Sacrilegis.

6. *Petentes Eccleſiaſtica prædia, & à regibus obti-* 10.
nentes, niſi ea confeſtim reſtituant, excommunicantur c. 2. ex. de reb. Eccleſ. non alienan.

7. *Ipſi Clerici, Canonici & Epiſcopi de bonis è reditibus*
Eccleſiaſticarum dignitatũ acquiſitis diſponere non poſſunt 11.
aut teſtari, nota. in c. relatum, el. 2. extra, de Teſtam. Non ſunt enim Domini, ſed adminiſtratores, uſuarij, & œconomi.

Digitized by Google

8. Hæc ita ſe habere, pieq; ac rectè conſtituta eſſe, experientiam quoq;, quæ rerum magiſtra eſt, c. quam ſit, de elect. in Sexto, evincere; quamq; dira & exitialia cer-
12. *tamina talium bonorum invaſionem ſecuta ſint in Imperio Romano, ſatis eſſe compertum, & illis, qui hodie ea uſurpant, hoc velut auro Tholoſano, de quo Deſid. Eraſmus in Adag. chil. 1. cent. 10. minimè proſpectum, ac ſæpius eorum nidum, ceu pruna è thuribulo ſacro, alis aquilæ, ut habet Apologus, adhærente, conſumi, utq; rubigine ferrum, Proverb. 11. paulatim exedi, itaq; ſacculos ipſorum eſſe pertuſos, Haggai 1. ubi Lutherus, & idem in enarrat. cap. 18. 26. & 47. Geneſ. item cap. 6. epiſtola ad Galat. & paſſim in concionibus Dominicalibus. Dignum eſt enim, ut uſurpans id quod ſuum non eſt, perdat etiam quod ſuum eſt, c. ſic decet 25. q. 2. l. ſi conſtiterit. C. fin. regund. Quare ſaniores iis bonis abſtinere, eaq; vulgo quoq; non libenter emi. Regem nullum ſacras res impunè contrectaſſe; Id Ochoriæ Iſraelis 1. Chron. cap. 26. & Balthaſaris Babylonici regis, Daniel. cap. 5. Imperatoris item Iuliani Hiſtoria tripar. lib. 6. cap. 1. exemplis commonſtrari; pœnas ſimiles vel etiam majores hiſce raptoribus imminere, juxta graviſſimam Apoſtoli Pauli commninationem 1. Corinth. 3. Si quis templum Dei violaverit, diſperdet illum DEVS, quod & ad pauperes fideles, quorum cauſſa hæ donationes etiam factæ ſunt à veteribus, extenditur, ut ibidem. Quamobrem tam principes, qui nutritii & defenſores eſſe debent Eccleſiæ, Eſaiæ 49. quàm privatos, ſaltem ad ſimplicem reſtitutionem teneri, cùm Zachæus Publicanus quadruplum de partis injuſtè, reddiderit. Lucæ 10. & beatius*
13. *ſit dare, quàm accipere, Actor. 20. & 1. Petri 2. peccatum ad hæc non remittatur, niſi reſtituatur ablatum. Auguſt. ad Macedon. Tomo 2. epiſtol. 54. Neutros ulla præſcriptione juvari, cum ſint in mala fide, c. poſſeſſor de reg. Iur. in Sexto.*

9. Præ-

Digitized by Google

9. *Præterea minimè ferendum, ordini equeſtri tam præſentem ſe ſuosq́ alendi & ſuſtentandi facultatem prorſus intercipi & adimi, totas familias in hac omnium rerũ difficultate, ſine hiſce velut adminiculis, cum Republica Chriſtiana detrimento propediem interituras. Saltem*
abuſum tollendum, non rem ipſam. Proverb. 20. Iob 20. 14.
Eccleſiaſt. 31. & ſufficere pecuniam, quæ ultra neceſſarios uſus Eccleſiaſticarum perſonarum ſuperſit, inferri fiſco, multos Pontificiæ ſectæ, & Proteſtantes in Germania Principes, eorumq́ hæredes hos quaſi limites non egredi, viros autem ſacris initiatos in agrorum poſſeſſione manere, quod in veteri lege ſacerdotibus etiã conceſſum fuit. Ioſuæ cap. 21. In privilegijs item, & inſtrumentis donationum fundatoribus redituum ſacrorum, & patronis, vel eorum ſucceſſoribus nihil fuiſſe reſervatum.

10. *Cumq́ Paulus 1. Timoth. 3. ab Epiſcopo hoſpitali-*
tatem exigat, quomodo eã ſine facultatibus vel mediocriter 15.
exercebit? Hæc ferè ſumma argumentorũ ex altera parte.

Eos autem qui opinionem contrariam, cum grano tamen ſalis intellectam, amplectuntur, his moveri reſponſionibus exiſtimandum eſt. Quod enim primo ad Regulam, Semel Deo dicatum, pro fundamento immobili negativam defendentium poſitam attinet, certè nihil ſacrum vel pro
ſacro habendum, quod homines ſine expreſſo Dei mandato 16.
conſtruxerint & inſtituerint, ut de templis in ſpecie Zeno Criticus olim philoſophatus eſt, & divinis in literis præcipuè, confirmatum reperitur; Excelſus enim in manufactis non habitat, 2. Chronic. 6. qui ut Stephanus Protomartyr ait Actor. 6. ſanctorum pectora pro templis devotiſſimis habet, Pſal. 132. Eſaia 66. Chriſtus etiam Dux & Salvator noſter oraturus in montem, non ad Hieroſolymitanum tam valdè profanatum templum, vel Synagogas Iudaicas, exiviſſe ſcribitur. Matth. 14. Sicut ergò in materia pec-

gladium diſtinctum, ſiniſtra verò librum apertum præferentem & oſtentantem uſurpabat, cum hac ſuperſcriptione; HIS DVOBVS. Novi quoq; virum nobilem, latifundia fertiliſsima poſsidentem, amicitijs inſuper & auctoritate florentem, cuius avus, poſtquam apud Principem quendam Conſiliarij munere defunctus eſſet, domiq; ſuo in rerum omnium affluentia placidè conſenuiſſet, ante finem vitæ, monumentò ſuo ſenem equeſtri more armatum, aſpectu venerando, ſuper armaturam verò toga civili, quali Doctores in Italia & apud Gallos utuntur, veſtitum, fecit inſculpi, idem quod adoleſcens memoratus ingenioſè volens exprimere, ſimulq; liberis perfectæ virtutis exemplar poſt relinquere. Solent enim exempla domeſtica benè natos & rectè inſtitutos ad virtutem peculiariter incitare. Etſi virtus in ſe id præclari ſēper habet, & apud extraneos quoq; idem ſolet efficere, ut Themiſtocles Miltiadis trophæis ad laudis iter capeſſendam excitabatur, velut Alexandrum quoq; Macedonem, viſo apud Sigæum Achillis monumento in orbe habitabili debellando ardentiorem factum fuiſſe accepimus, qui & in medio rerum geſtarum curſu bonarum artiū oblivisci non potuit, eoq; præpoſtera iudic a propter genus aut fortunam literas contemnentium manifeſtè reprobavit. Superiobus annecto Apophtegma, quod inter impreſſa, & emblematis illuſtrata Symbola Simeonis Gabrielij reperitur; EX VTROQVE CÆSAR; Quo ſignificatur, his duobus, armis ſcilicet & literis Iulium Cæſarem recto corporis ſtatu, ſemper rebus gerendis ſtrenue invigilantem factum totius orbis dominatorem. Cui conſentit alterum apud Claudium Paradinum, gladius nimirum pennis circumligatus, quia ad perfectam Rempublicam requiruntur, calamus, &

gla-

gladius; hoc eſt, deliberandis rebus conſilium, & ſite-
ræ; exſequendis gladius.

Declaratis iam ſtudio mediocri, quæ de Quæſtio-
ne propoſita mihi nunc quidem venerunt in mentem,
antequam perorem, denuo iuventus ingenua eſt ad- 149.
monenda, ut ſiquidem hominis perfectio, (loquendo
civiliter) in militari & Doctorali dignitate conſiſtit, d.
l. unica, C. de Iuſtin. cod. confirm. & in hac mundi po-
litia varia munia requiruntur utrobiq;, duab. his ſum-
mis artibus, pro cuiusq; tamen vocatione, citraq; fa-
ſtum, & partis alteræ contemtum ſtudioſê incumbant.
Ac milites aliquando futuri, illud probè ſecum per-
pendant, Remp. defendentibus locum in cœlis deſi-
gnatum, Cic. & Macrob. lib. 1. in ſomn. Scipionis, A-
lex. in l. frater à fratre ad fin. ff. de condict. indeb. Ri-
pa Tracta. de peſte, mihi charta, 44. Et hos qui pro
Rep. ceciderunt, in perpetuum per gloriam vivere, ut
eſt pulcer textus in § filij. Inſtit. de excuſat. tut. & cu-
rat. Ubi verò belli neceſsitas incumbit, id ita ſuſcipia-
tur, ut nihil aliud quàm Pax quæſita videatur, qua ni-
mirum iuxta Velleium, auctorem Latiniſsimum in
fragm. Hiſtor. Rom. lib. 2. vis legibus, iudicijs aucto-
ritas, ſenatui maieſtas viget, cultus agris, ſacris honos,
ſecuritas hominibus, certa cuiq; eſt ſuarum rerum poſ-
ſeſsio, vero enim verius eſt, Pacem certam prævalere
ſperatæ victoriæ, ideoq; illi ſemper conſulendum, cum
præſertim nihil habeat inſidiarum. Cic. 1. de offic. O-
mnium verò bellorum exitus incerti ſunt. Cicero
Torquato lib. 6. famil. epiſtolarum & Philip. 13. in qui-
bus civilia ſunt omnium pernicioſiſsima, idem Atticum
lib. 8. Deinde licet ea quæ ſcimus, minima pars ſint eo-
rum quæ ignoramus, Barbatia in c. novit, extra de iu-
dic. & iuxta Apoſtolum 1. Corinth. 13. ex parte in hac

vita tantum cognoſcamus, adoleſcentibus Deus omnē dans ſapientiam Dan.1.& 2. l.2.ff.de legibus, inprimis invocandus, & artes Eccleſiæ ac Reipub. neceſſariæ integrè ſunt addiſcendæ, ut vel alijs eas aliquando viciſsim tradant, vel ad uſum communem privatim quoque prudenter referant, Sicut à Paulo ad Titum cap.3. nominatim præcipitur, ut diſcamus utilia vitæ. Quam ad rem non tam vigiliarum condigna præmia & honores mundani debent invitare, quàm cœleſtis illa remuneratio, de qua Daniel.cap.12. Doctores fulgebunt, ut ſplendor firmamenti, & qui ad iuſticiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in ſeculum. Et ſic in æterna quoq; vita gradus erunt piorum, fa. ca. fin. extra de magiſtr. Diſcant itaq; in terris, quorum ſcientia perſeverat in cœlis. Tum intra metas vocationis permaneant, nec ſiti aliqua ſuperioritatis, quæ cum periculo præſentaneo coniuncta eſt, illecti, maiora viribus aggrediantur. Quicquid enim magnum eſt in terris, eſt abominatio coram Deo. Lucæ 16. Quid autem prodeſſet homini, ſi univerſum mundum lucraretur, & animæ detrimentum pateretur? Matth.16. Marc.8.& c. Matthæus, extra, de Simonia. Itaq; mihi iam in portu naviganti ſic liceat exclamare; O felicem Germaniam, beatam ſaxoniam, ſi nobili genere nati, & quorum opes ſunt in excelſo, quiq; alijs aliquando præeſſe debent, tempus ineuntis adoleſcentiæ, non ludis, alea, commeſſationibus, aut venatu perdant, ſed animum doctrinis liberalibus inſtruant, & exornent. Ita non tantùm ipſi rectè vivere, ſed alios iuſtè diſcent regere, corruptelas omnis generis, maximè in rebus fidei facilius deprehendent, ac honeſtam percipient inde voluptatem; ſapientiam politicam melius acquirent, & ſanctiſsimis Philoſophiæ præceptis inſtructi ſe continebunt

bunt inter metas; ad ardua Principum conſilia, & felices Rerumpublicarum curationes, tam pace quàm bello fient aptiores, natalium inſuper ſplendorem factis præclaris & laudabilibus extendent & augebunt. Hæ ſunt Herculeæ columnæ, ad ſolidum decus veramq; gloriam comparatæ; his alis itur in ſublime, hiſce vigiliſijs & ſudoribus celebritas & fama nominis paratur, & poſt ævi mortalis ſpacium relinquitur immortalis & æterna.

Et per hæc ſit finis impoſitus huic commentatiunculæ; in qua, ſine cortice, quod aiunt, nondum fuit. Si tamen ea doctiorum, & curis illiberabilibus minus occupatorum ſtudia commovero, ut rem totam copioſius, acutius, & verbis elegantioribus explicent, (nihil enim ſimul inventum & perfectum, & μιᾶς χειρὸς ἀσθενὴς μάχη,) operam me minime luſiſſe arbitrabor.

AVCTORIS

EPIGRAMMATA DVO

MATERIAM TRACTATVS HVIVS BREVITER COMplectentia.

I.

Nobilitas literata, Ad Philippum Ludovicum Comitem in Hanauu, ex lib. 1. Epigram. anno ab hinc proximo editorum.

VT magis afficiunt argento mala locata
Aurea, lanx menſis plus velut inde nites.
Aureus articulus ceu gemmam circulus ambit,
Quam Domino caram mutua cauſſa facit:
Artibus ingenuis ſic pectus nobile fulget,
Grandis & artifices ſplendor adornat opum
Aeaciden Phœnix inſtruxit, Iaſona Chiron,
Et Macedo coluit Magnus Ariſtotelem.
Sicq; Syracuſia iuvenem Plato rexit in urbe,
Nam bene ſtant manibus Principis arma, libri.
HIS bona conſiſtit Reſpublica nempe DVOBVS,
Et vicibus cedunt arma cruenta togæ.

II.

De armis bellicis à ſe in arce Noſcovicenſi coëmtis, ex lib. 2. Epigrammat.

QVid ſibi multiplici durus cum caſſide thorax?
Quid ſibi cum libris pendula tela volunt?
Deſine mirari vicinia, tempore priſco
Tecta caput galea, culta Minerva fuit.
Legibus armari ſic Iuſtiniane volebas,
Regnaq; ſic armis condecorata probas.
Bellica nemo foris promit feliciter arma,
Conſilium ſi non ſit prius acre domi.
Ergo priore loco ponantur Martia Iura,
Telaq; condantur civica, dum ſit opus,
Tum conferre manum medio iuvet æquore campi,
Tunc fuerit iuſtum, dulce piumq; mori.

FINIS.

Digitized by Google

DISPVTATIO.

Vtrum bona Eccleſiaſtica, vulgò ſpiritualia dicta rectè poſsideantur à Laicis nec ne.

SVMMARIVM.

1. *Querela de iniuſta detentione bonorum ſacrorum.*
2. *Semel Deo dicatũ ad uſus humanos non eſt transferendũ.*
3. *Principi de bonis Eccleſiaſticis diſponendi, nulla facultas eſt conceſſa.*
4. *Loca pia exemta ſunt à ſeculari poteſtate & iuriſdicti-*
5. *Nullum & invalidum æquiparantur.* *(one.*
6. *Vnumquemq; de ſe oportet eſſe liberalem.*
7. *Sacræ res diſtinctionem patiuntur.* *(tur.*
8. *Emens Eccleſiæ res amiſſo precio ad reſtitutionem tene-*
9. *Similia bona invadens ſacrilegium committit.*
10. *Ea bona obtinens excommunicatur.*
11. *Ipſi clerici de talibus bonis diſponere nequeunt.*
12. *Laicis per ea minimè proſpectum eſſe, experientia docet, ideoq́; ſaniores illis abſtinere.*
13. *Dare beatius eſt quàm accipere.*
14. *Abuſus tollatur, non res ipſa.*
15. *In Epiſcopo requiritur hoſpitalitas.*
16. *Nihil ſacrum ſine expreſſo DEI mandato.*
17. *Homo conditus eſt ad labores.*
18. *Filia in Papatu devoravit matrem.*
19. *Chriſti regnum non eſt temporale.*
20. *Singulari DEI beneficio lux Evangelij hoc ſeculo renata eſt.*

Aliena

Digitized by Google

21. *Alienatio rerum Eccleſiaſticarum propter certas cauſſas eſt permiſſa.*
22. *Quomodo hodie reditus monaſteriorum in uſus meliores conuerſi ſint.*
23. *Qui ſint verè pauperes.*
24. *Dolus ſuus nemini patrocinari debet.*
25. *Nemo ius dicat in propria cauſſa.*
26. *Veritas erroribus geſtorum non vitiatur.*
27. *Ordinata caritas incipit à ſeipſo.*
28. *Euentus prudentiſſimum quemq; fallit.*
29. *Non deſunt modi vitam honeſtè tranſigendi.*
30. *Sacerdotes laborant auaricia.*
31. *Res de facili redit ad ſuam naturam.*
32. *Publica utilitas anteferenda priuatæ.*
33. *Nouiter emergentia nouo indigent auxilio.*
34. *Bona perinde ſunt ut animus poſſidentis.*
35. *Reditus Eccleſiaſtici quomodo ſint collocandi.*
36. *Templa non deformanda, neq; ſepulcra violanda.*
37. *Pauperum neceſſitas meritò ſubleuanda.*
38. *Factum reddi non poteſt infectum.*
39. *Qua ratione Bona ſacra hodie rectè poſſideantur à Laicis.*
40. *Quæ poſſeſſoribus modernis competant exceptiones.*
41. *Vetuſtas pro Lege habetur.*
42. *Salus populi ſuprema Lex eſto.*
43. *Res iudicata habetur pro veritate.*

TRACTA

MVLTORVM QVERELIS INCVL-
catur Eccleſiaſtica bona piis uſibus olim deſtinata, ad formam patrimonialium, vel etiam Feudalium reducta paſſim à Laicis injuſtè detineri; Nec veniam mereri Principes ipſos, qui ea propria auctoritate, velut à majoribus ſuis eò perperam translata, non tantùm ſibi vendicent, ſed nonnunquam venditionis titulo pro libitu alienent, & miniſtris quorum perſpecta fides, elargiantur, redactis in ordinem, qui per electionem iis legitimè præſidebant, & honeſtè fruebantur. Et ſanè rationibus hæ querimoniæ non deſtituuntur. Videndũ itaq; utrum hæ ſimpliciter ita ſeſe habeant, & ſi qua ſuperſtitio, vel manifeſta falſitas huic inſit opinioni, à vero ut diſcernatur enitendum, ne triticum cum Zizaniis eradicetur. Matthæi 13. & unà cum tribulis precioſæ vites imprudenti falce amputentur; Quibus hinc inde conſideratis, dubiiſq; remotis, quid hac in re ſequendum, planum fiat. 1.

Pro Negativa rationes non inſulſæ videntur facere. 2.

1. Semel Deo dicatum ad uſus humanos ulterius non eſt transferendum, c. ſemel. de reg. jur. in Sexto. Sacra enim res per Pontifices ritu ſingulari Deo conſecrantur. Hinc licet ædificium ſacrum diruatur, locus nihilominus ſacer remanet, l. in tantum §. ſacra ff. de rerum diviſ. § ſacra Inſtit. eod. Sic Divus Trajanus Plinio Secundo reſcripſit; Si ædes in periſtylio collapſa domus Claudio Cæſari apud Nicomedienſes facta eſſet, religionem ejus ſolum occupaſſe. Plin. lib. 10. Epiſt. Poſſumus. Ac de veteri ritu ſacrandæ ædis plura apud Alexand. Neapolit. lib. 6. cap. 14. & lib. 2. cap. 8. Cum ergò res hæ juris divini ſint, in bonis & patrimonio nullius eſſe poſſunt, nec earum dominium quis jure nanciſci valet, § univerſitatis. Inſtit. de rer. diviſ.

2. Quæ jura cum ſint Univerſalia, ſummum Princi- 3.

pem æquè ac ſubditos ligant, l. digna vox. C. de legibus, cui nulla de rebus Eccleſiaſticis diſponendi facultas conceſſa c. 23. q. 3. ubi dicitur: Ad Imperatores palatia, ad Sacerdotes Eccleſias pertinere.

3. *Loca pia & eorundem bona ac jura ſunt exemta ab omni ſecularium poteſtate & jurisdictione, quacunq;*
4. *fulgeant dignitate, c. nullus, extra de for. comp. l. ſanci-mus C. de Sacroſ. Eccleſ. Id ſi in* Imperatore *verum eſt, ut per modo dicta patet; multò magis in principibus inferioribus obtinet, qui ſunt eidem ſubjecti. l. deprecatio ff. ad l. Rhod. de jactu, l. 1. cum ibi not. C. de ſumma Trin. & Fid. Cathol. Quocirca Statutum quantumvis generale ad Clericos non extenditur, c. noverit, cum ſimilibus de ſent. excommunic. authent. Caſſa. C. de Sacroſ. Eccleſiis. §. item ſtatuimus, Tit. de Statu. & conſuetud. cont. lib. Eccleſ. indultis, in Conſtit. Frid. Imperatoris. Qui jurisdictioni temporalium non ſubjacent, tam in civilibus quàm criminalibus cauſſis. c. ſi quis contra, extr. de for. compet. cum multis concordantiis; & immunitatem habent à vectigalibus, collectis, & oneribus publicis omnibus. c. 1. & 2. extra de immun. Eccleſ. Clem. præſenti, de cenſib. authent. item nulla. C. de Sacroſ. Eccleſ. ubi Doctores, l. reſcripta § finali, & ibi Bartol. ff. de muner. & honor. Et hoc propter defectum poteſtatis in illos, ut modo relatum. Hinc liquet, emtores aut etiam donatarios harum rerum verum & perfectum dominium conſequi non poſſe, cum pro non emtis & non datis habeantur merito, utpote à non dominis accepta, apud quos neq; dominium neq; poſſeſſio fuit, c. quod autem, de jur. patron. l. traditio, in princ. ff. de ac-*
5. *quir. rer. domin. Nullum enim & invalidum æquiparantur in jure. l. quoties ff. qui ſatisd. cogantur. cum ſimil. Cæterum Principibus aliunde ſuppetetur, quo beneficentiā*
6. *exerceant erga bene meritos, eosq; remunerent, cum de ſe*

unum-

*unumquemq; oporteat eſſe liberalem. l. inter ſtipulantem,
in princ. ff. de verb. oblig. Et quidem magis, quod invito
poſſeſſore apprehendens & invadens id quod ſuum eſt,
prædo in jure nominetur l. ſi ex ſtipulatione ff. de acquir.
poſſeſſ. gloſ. in l. fundi, eod. l. nec ex vera. C. eodem. Ad
quod ſciendum, res ſacras in duplici differentia conſtitutas* 7.
*eſſe. Quædam enim directè & ſimpliciter cultui divino
dedicatæ ſunt, ut templa, calices, ornamenta, libri; quædã
ad uſum aris ſervientium donatæ & ordinatæ. De utriſq;
Regula eſt: Quod omnis obligatio & alienatio rerum Ec-
cleſiaſticarum, tam mobilium quàm immobilium, monaſte-
riorum, hoſpitalium, & aliorum locorum piorum, ſive ven-
ditionis, ſive permutationis, ſive donationis titulo fiat, de
jure prohibita ſit. l. ſancimus. l. jubemus, juncta authenti-
ca hoc jus porrectũ, & authent. multò magis, C. de Sacroſ.
Eccleſ. tot. Tit. in Auth. & extra, de non alien. & per-
mut. reb. Eccleſ. et Alvarott. in c. 1. in princ. qui feud. da-
re poſſunt. ubi diſertè, monaſterium infeudari non poſſe.*
4. *Iure cautum eſt, ementem res Eccleſiæ, amiſſo pre-
cio ad reſtitutionem teneri. d. l. jubemus. § ſanè, junct. §* 8.
*præterea, fructibus & acceſſionibus medii temporis nihilo-
minus ad Eccleſiam ſpectantibus.*
5. *Invadens Eccleſiaſtica bona, contra 7. Decalogi præce-
ptũ peccat, et ſacrilegij crimẽ incurrit, licet eas ipſe cõtulerit.* 7.
*c. ſunt qui opes cũ tribus ſeqq. 17. q. 4. ejus pœna capitalis
eſt Paulo in l. ſacrilegi, ff. ad l. Iuliã pecul. et de Sacrilegis.*
6. *Petentes Eccleſiaſtica prædia, & à regibus obti-
nentes, niſi ea confeſtim reſtituant, excommunicantur c. 2.* 10.
ex. de reb. Eccleſ. non alienan.
7. *Ipſi Clerici, Canonici & Epiſcopi de bonis è reditibus
Eccleſiaſticarum dignitatũ acquiſitis diſponere non poſſunt* 11.
*aut teſtari, nota. in c. relatum, el. 2. extra, de Teſtam.
Non ſunt enim Domini, ſed adminiſtratores, uſuarij, & œ-
conomi.*

8. *Hæc ita ſe habere, pieq́ ac rectè conſtituta eſſe, experientiam quoq́, quæ rerum magiſtra eſt, c. quam ſit, de elect, in Sexto, evincere; quamq́ dira & exitialia certamina talium bonorum invaſionem ſecuta ſint in Imperio*
12. *Romano, ſatis eſſe compertum, & illis, qui hodie ea uſurpant, hoc velut auro Tholoſano, de quo Deſid. Eraſmus in Adag. chil. 1. cent. 10. minimè proſpectum, ac ſæpius eorum nidum, ceu pruna è thuribulo ſacro, alis aquilæ, ut habet Apologus, adhærente, conſumi, utq́ rubigine ferrum, Proverb. 11. paulatim exedi, itaq́ ſacculos ipſorum eſſe perfuſos, Haggai 1. ubi Lutherus, & idem in enarrat. cap. 18. 26. & 47. Geneſ. item cap. 6. epiſtola ad Galat. & paſſim in concionibus Dominicalibus. Dignum eſt enim, ut uſurpans id quod ſuum non eſt, perdat etiam quod ſuum eſt, c. ſic decet 25. q. 2. l. ſi conſtiterit. C. fin. regund. Quare ſaniores ijs bonis abſtinere, eaq́ vulgo quoq́ non libenter emi. Regem nullum ſacras res impunè contrectaſſe; Id Ochoriæ Iſraelis 1. Chron. cap. 26. & Balthaſaris Babylonici regis, Daniel. cap. 5. Imperatoris item Iuliani Hiſtoria tripar. lib. 6. cap. 1. exemplis commonſtrari; pœnas ſimiles vel etiam majores hiſce raptoribus imminere, juxta graviſſimam Apoſtoli Pauli comminationem 1. Corinth. 3. Si quis templum Dei violaverit, diſperdet illum DEVS, quod & ad pauperes fideles, quorum cauſſa hæ donationes etiam factæ ſunt à veteribus, extenditur, ut ibidem. Quamobrem tam principes, qui nutritij & defenſores eſſe debent Eccleſiæ, Eſaiæ 49. quàm privatos, ſaltem ad ſimplicem reſtitutionem teneri, cùm Zachæus Publicanus quadruplum de partis injuſtè, reddiderit. Lucæ 10. & beatiùs*
13. *ſit dare, quàm accipere, Actor. 20. & 1. Petri 2. peccatum ad hac non remittatur, niſi reſtituatur ablatum. Auguſt. ad Macedon. Tomo 2. epiſtol. 54. Neutros ulla præſcriptione juvari, cum ſint in mala fide, c. poſſeſſor de reg. Iur. in Sexto.*

9. Præ-

9. *Præterea minimè ferendum, ordini equeſtri tam præſentem ſe ſuoſq; alendi & ſuſtentandi facultatem prorſus intercipi & adimi, totas familias in hac omnium rerũ difficultate, ſine hiſce velut adminiculis, cum Reipublicæ Chriſtianæ detrimento propediem interituras. Saltem abuſum tollendum, non rem ipſam. Proverb. 20. Iob 20. Eccleſiaſt. 31. & ſufficere pecuniam, quæ ultra neceſſarios uſus Eccleſiaſticarum perſonarum ſuperſit, inferri fiſco, multos Pontificiæ ſectæ, & Proteſtantes in Germania Principes, eorumq; hæredes hos quaſi limites non egredi, viros autem ſacris initiatos in agrorum poſſeſſione manere, quod in veteri lege ſacerdotibus etiã conceſſum fuit. Ioſuæ cap. 21. In privilegijs item, & inſtrumentis donationum fundatoribus redituum ſacrorum, & patronis, vel eorum ſucceſſoribus nihil fuiſſe reſervatum.* 14.

10. *Cumq; Paulus 1. Timoth. 3. ab Epiſcopo hoſpitalitatem exigat, quomodo eã ſine facultatibus vel mediocriter exercebit? Hæc ferè ſumma argumentorũ ex altera parte.* 15.

Eos autem qui opinionem contrariam, cum grano tamen ſalis intellectam, amplectuntur, his moveri reſponſionibus exiſtimandum eſt. Quod enim primo ad Regulam, Semel Deo dicatum, pro fundamento immobili negativam defendentium poſitam attinet, certè nihil ſacrum vel pro ſacro habendum, quod homines ſine expreſſo Dei mandato conſtruxerint & inſtituerint, ut de templis in ſpecie Zeno Criticus olim philoſophatus eſt, & divinis in literis præcipuè, confirmatum reperitur; Excelſus enim in manufactis non habitat, 2. Chronic. 6. qui ut Stephanus Protomartyr ait Actor. 6. ſanctorum pectora pro templis devotiſſimis habet, Pſal. 132. Eſaiæ 66. Chriſtus etiam Dux & Salvator noſter oraturus in montem, non ad Hieroſolymitanum tam valdè profanatum templum, vel Synagogas Iudaicas, exiviſſe ſcribitur. Matth. 14. Sicut ergò in materia pec- 16.

Digitized by Google

catum concernente jura ſacros Canones ſequi non dedignantur, c. Clerici. extra de judic. Ita Canones viciſſim cedant voci divina, quæ dicit: Fruſtrà me colunt mandatis hominum. Matth. 15. Marci 7. Quo uno fundamentum Papalis ædificij convellitur, quicquid huic ergò ſuperinſtructum, corruere neceſſe eſt. arg. c. cum Paulus 1. q. 1. Demus enim tot baſilicas, oratoria, & ædificia commodiſſima à majoribus religioſis optima intentione erecta & locupletata, ut nimirum loca eſſent peculiaria, & à profano commercio libera, in quibus divino cultui rectius vacaretur, juventus inſtrueretur, & ſtatis diebus doceretur populus, ſicq; conſuetudinem illius temporis jus ratum feciſſe. Vbi verò Monachatus à Deo ordinatus & approbatus? quamdiu veritas apud hos hiſtriones incorrupta manſit? quàm altum de Chriſti merito & juſtitia fidei ſilentium? quàm deniq; nulla vera pietatis ſpecies apud hos idololatras, habitu quidem geſtuq; ſanctimoniam præ ſe ferentes, intus autem plenos hypocriſi & Epicurei Spiritus, Matth. 23. Nullo alio tot monſtroſis ſectis utriusq; ſexus propoſito fundamento, quàm placitis inſtituentium ſine Dei verbo, cum interim ſanctorum prædeceſſorum, quorum nomen & regulas, ut appellant, profeſſæ ſunt, veſtigia minimè ſectentur, ſed
17. *ignavia & deſperatione fracti, labores, ad quos homo conditus, Pſal. 128. Sirac. cap. 6. ſubterfugiant, eleemoſynas parentum devotorum, & ſudoribus alienis acquiſitas opes, in aleam, ſcorta, & palatia magnifica profundant, luxu & mollicie diffluant, oſſa quoq; & exuvias defunctorum avaritiæ ſuæ inexplebilis inſtrumenta faciant; indocti, vacordes, impij, ſcelerati, ſævicia & crudelitate erga pios inſignes, contaminatiſſima verò illorum clauſtra & latibula, quæ tamen ipſa, ne & hoc omittamus, propter inundationes & alias cauſſas, non obſtante ſupra allegata, l. in tantum, ſæpe tranſlata fuiſſe comperimus, prioribus*

locis

locis vel planè deſertis, vel à Laicis occupatis. Quibus vitiis religio Chriſtiana cum orbis Europæi infamia naufragium paſſa, pariterq; divitiis ingentibus mater ab improba filia devorata eſt & abſorpta. Inter hanc vitæ diſſolutionem eò ſuperbiæ & ambitionis deventum, ut Romanus Epiſcopus regna pro libidine conferret & adimeret, ac ſi his moribus cœlum peteretur, propter quos Lucifer olim cœlo deturbatus eſt, cum tamen Chriſtus omnium Dominus & judex vivorum ac mortuorum cuidam roganti, ut fratrem ſecum hæreditatem dividere juberet, reſponderit Lucæ 12. O homo, quis me judicem conſtituit inter vos? Hinc ementita Conſtantini Magni Silveſtro Papæ factæ, ſed à potenti aliquo Monarcha jure belli revocanda donatio, quicquid inculcent. can. Conſtantinus 96. diſtinct. gloſſ. in c. ego Ludovicus, 63. diſtinct. Canoniſtæ in c. ex inſinuatione, extra de ſimon. & in c. tranſlato de conſtit. Alexand. in Rub. de verbor. oblig. in principio, & Legiſtæ pluribus in locis. Non minus atq; altera per Rodulphum regem nondum coronatum collata, de qua Specul. tit. de reſcript. præſent. § fin. verſic. item quod obtentum. Iisdem artibus Mechtildi Comitiſſæ ad amplificandum Petri patrimonium liberalitas extorta. Sic tandem Pontifex & Epiſcopi contra Chriſti præceptum Matthæi 20. & Lucæ 22. Vos autem non ſic, non tantum juriſdictioni magiſtratus ordinarij per vim ſubtracti ſunt, dominatu mundano apud ipſos conſtituto, legitimi verò Imperij majeſtate profligatâ & prorſus obtrita; ſed gladium adverſus Imperatores tyrannidi tam manifeſtæ ſeſe opponentes, ſæpius ſtrinxerunt, bellis inſuper exitialibus orbem Chriſtianum inter ſe nefariè committentes. 18.

Cum tamen certo certius ſit, Chriſti regnum Spirituale eſſe, quod nulla corporali vi coërcet homines, ſed 19. *per verbi miniſterium geritur & adminiſtratur.*

Lucæ

Digitized by Google

Luc. 17. Iohan. 18. mirabilem quoq; & myſticam totam ejuſdem gubernationem, & ſubditorum in periculis ærumniſq; defenſionem, Pſal. 111. Sed cum ſua mole laboraret Hierarchia, Deumq; nec auctorem nec fautorem haberet, Gamaliel Actor. 5. ipſius inprimis miſeratione & be-
20. *neficio ſingulari factum, ut lux Evangelij velut è cineribus monaſtica doctrina, cœnoq; opinionum & traditionum inſulſiſſimarum evoluta renaſceretur, & tyrannis illa ceu Periodo exacta declinare inciperet, primùm quidem in Germania & regionibus Arctoïs, ubi Monachi vitio gentis intemperantiores ſcelera ſua diutius occultare nequibant, miniſtra iræ divinæ Nemeſi detectas fraudes & impietatem in reliquis etiam partibus Europæ continuo perſequente & vindicante. Nec id ſanè mirum cuipiam videbitur, cum Politia Moyſis, cui Deus ipſe jus legeſq; præſcripſerat, propter enormia peccata funditus antea ſit deleta. Gratis animis ergò hoc ingens Dei beneficium prædicandum, & ne jugo Pontificio denuò ſubijciamur, quantum in nobis eſt, enixè cavendum.*

Nunc objectiones reliquæ eadem verbi divini ægide elidendæ, & juris auctoritatibus interſperſis, ordine confutandæ. Iiſdem enim juribus quibus rationem ſecundam firmari diximus, res Eccleſiæ mobiles & immobiles cauſa pietatis, ut pro redemptione captivorum ab hoſtibus fidei, &
21. *pauperum alimentis oppignorare et alienare permiſſum eſt, vulga. cap. aurum. 12. q. 2. & d. l. ſancimus. Iuſtinianus Novella 131. adde Ambroſ. lib. 2. offic. ca. 28. Licitum ergò Principibus Evangelicis, ut hæredibus fundatorum crediderim, cœnobiorum proventus uberrimos maleq; collocatos, in rem ſuam vertere, multis præſertim monachis ſponte diſcedentibus, & juri ſuo renunciantibus. l. ſi quis in conſcribendo C. de pact. aliudq; vitæ genus ſuſcipientibus. Et hac ratione tam belli, quod à Pontificijs imminebat propul-*

ſandi,

ſandi, quàm ſubditos rectè ſentientes è captivitate hoſtium veritatis plus quàm Aegyptiaca vel Babylonica redimendi, nervos & ſumptus ſibi comparare, qui tamen, ſi cum his reditibus conferantur, ſine dubio multò fuêre majores. Cumq́; pertinuerit ad officium pij magiſtratus providere ſimul, ne bona, quibus abundabant conventus ejusmodi, ab his qui nullum munus in templis aut Scholis obibant, tam fœdè diſſiparentur, totq́; nundinationibus & Simoniis inſervirent, Collegia Monachorum in ludos literarios ſcholasq́; Provinciales, templis etiam & ritibus vel ceremonijs reformatis, ab illis bona ex parte mutata ſunt, ſicq́; reditus annui in uſus ſanctiores Deoq́; gratiores converſi. 22. *Quemadmodum ipſe Papa decimas & alias obventiones regibus Francorum ad regni ſalutem per ſanctionem pragmaticam ſæpenumero conceſſit & indulſit, gl. c. pervenit* 101. *diſtinct. Qui hoc etiam jam præſcripſerunt contra Romanam ſedem, ut ipſis Regibus de conſuetudine jus diſtribuendi Canonicatus per Galliam competat, Igneus in repet. § non alias. l. neceſſarios. nu.* 307. *& multis ſeqq. ff. de SCto. Syllan. Quinimò Iehu Rex Baalitas prorſus extinxit,* 4. *Reg.* 10. *Ioſias idola Bethel & Samariæ delevit,* 4. *Reg.* 23. *& ipſe Chriſtus vendentes ac ementes templo ejecit, Matthæi* 21. *Quia non eſt bonum adimere panem filiorum & projicere ante canes. Matthæi* 15.

Cur ergò non concedatur idem Ius in eadem cauſſa? l. illud. ff. ad l. Falcid. & l. fin. C. de conſtit. pecun. Pauperes autem accipimus, non tantùm qui fame & egeſtate cruciantur, ſed corde & Spiritu contritos, Pſal. 70. *Matth.* 5. *quibus animarum pabulum denegatum, fontesq́; ſalutiferi per Pontifices & monachos fuerant obſtructi. Etſi nec illis eleemoſyna danda, qui toto vitæ tempore deſidiæ addicti, quotidie ſtipem colligunt, ſed qui mendicare erubeſcunt, etiamſi locorum diſtent intervallo. Socrat. hiſtor.* 23.

T Eccleſ.

Eccleſ. lib. 6. cap. 25. Præterea bona Eccleſiaſtica ex cauſſa neceſſitatis alienantur licitè, ut ſi æs urgeat alienum, quod aliundè diſſolvi non poſſit, authent. hoc jus porrectum. C. de Sacroſ. Eccleſ. conſtit. 4. in Novell. Iuſtiniani, ſervatis tamen ſolennitatibus ad hoc requiſitis, de quibus etiam in c. ſine exceptione 12. q. 2. & in c. tua, extra de his quæ fiunt à prælat. Item propter utilitatem, ſi conditio Eccleſiæ fiat inde melior § & hoc quidem. in Authent. de alien. & emphyteut.

Ad rationem tertiam & ſequentem reſpondetur, Imperatores & Principes perſuaſione fraudulenta inductos, ut ſimiles Leges in gratiam ſedis Apoſtolicæ, falſo ſic
24. *appellatæ, promulgarent, Fraus autem & dolus ſuus nemini patrocinari debet. l. 1. & l. ne ex dolo ff. de dolo, c. cum olim, de offic. & poteſt. judic. deleg. Sunt etiam Epiſcopi in mala fide, cum per vim ſe ſuosq́ jurisdictioni politicæ ſubduxerint, contra illud Pauli ad Rom. 13. Omnis anima ſubjecta ſit poteſtati ſupereminenti. Ac ut maximè non eſſent, paulo ante tamen oſtenſum, cum monaſterio vel Abbate quid alienante, licitè multifariam contrahi. Eſtq́ imprimis ponderandus Textus in l. omnia C. de paganis & ſacrific. ubi Imperatores Honorius et Theodoſius ita reſcripſerunt; Loca quæ ſacris error veterum deputavit, noſtræ rei jubemus ſociari. Nec illud de exemtione indiſtinctè procedit. Si enim Eccleſia bona cenſibus & collectis propter onera publica ſubjecta conſequantur, privilegia ſua allegantes non audiuntur. Innoc. in c. verum, de for. compet. Hoſtienſ. in Summa Tit. de immunit. Eccleſ. in principio, probatur per textum in l. nullus C. de curſu publ. lib. 12. ubi Bartolus quem refert & ſequitur Petrus de Ancharan. in c. non minus, de jur. immunitatis. Melior Textus ad hoc in c. 2. eodem. Quamobrem Eccleſia rem feudalem acquirens, ſervitio perſonali remanet obnoxia. c. ſolita, de maior.*

Digitized by Google

major. & obedient. & c. fin. de honeſt. cleric. Imò Chriſtus ipſe pro ſe & Petro tributum ſolvit, Matth. 17. in fine, Omnis autem ipſius actio noſtra eſt inſtructio. ca. Deus omnipotens, 2. q. 1. ſecundum illud: Exemplum dedi vobis, Johan. 13. Ad eundem modum Clerici muros civitatis in caſu neceſſitatis cuſtodire tenentur, d. l. jubemus. ubi Bald. in 2. notab., vias item ponteſq; reficere. l. ad inſtructiones ubi Doctores, C. de Sacroſ. Eccles.

Nec melior eſt quinta ratio, cum Papa ſibi jus in propria cauſſa dicere non potuerit, l. 1. ff. quorum legatorum. 25.

Idem de Sexta judicandum, Etſi enim ſuperſtitioſi majores tam excommunicatione quàm ipſo anathemate valdè perculſi fuerint, fraude tamen hodie patefacta fulmen illud brutum pro inani ducitur, vincente veritate, quæ erroribus geſtorum non vitiatur. l. illicitas § veritas ff. de offic. præſid. in qua plus eſt quàm in opinione, gloſ. fina. in l. Caius ff. de pignor. action. 26.

Septima ratio, Clericos videlicet de bonis illis teſtari non poſſe, minus illorum cauſſæ patrocinatur quàm reliqui Canones parum ſibi conſtantes, & ab ipſis de facto nunquã ferè obſervati. Quis enim carnem ſuam odio habuit? c. non exiſtimemus 13. q. 2. c. 3. ubi Abbas in 2. notab. extr. de arbitr. Et ordinata caritas incipit à ſe ipſo. l. præſes. C. de ſervitut. & aqua. Ita Paulus III. Pontifex, Farneſius, filium Petrum Aloyſium prodigioſæ libidinis hominem poſtea à conjuratis aliquot interfectum Parmæ & Placentiæ Ducem deſignavit. Schleid. Commentar. lib. 19. & nullus ferè in Cathedra Petri ſedit, qui ſuæ gentis homines vivens aut moriens opibus non adjuverit, ut & illi qui minoribus Eccleſiis præfuerunt. Ea legum latarum apud ipſos obſervantia. 27.

Quod octavo loco, de experientia, negativam propugnantes adferunt, Eà nimirum bona ad poſteros iniquo-

28. *rum poſſeſſorum rariſſimè pervenire: Neſcio ſanè, utrum in tali eventu, qui prudentiſſimos quoq; fallit, juxta l. verum § ſi locupleti ff. de minor. multum ſit momenti ponendum, Cum ex adverſo itidem complures inveniantur, qui bona paterna, quæ nullo alio quàm feudi recti jure cenſentur, æquè dilapident, exemplo ſcilicet à Canonicis gentilibus ipſorum deſumto, quorum pars multo maxima & potiſſima Veneri gulæq; dedita, in Satanæ caſtris ſtrenuè militat. Cur de reali vicio tunc nullum verbum, aut ex uſu nefario de mala fide primi acquirentis, fortè latrocinijs aut rapinis domi foriſvè locupletati, eadem ratione non arguitur? ut de ſimilibus ſit idem judicium, c. inter cæteras, cum gloſſa verbo, in ſimilibus, ex. de reſcriptis. l. ex facto ff. de negot. geſt. l. naturalis § ſed ſi facio ff. de praſcr. verb. Specul. de Teſte, § 1. verſic. quid ergò. Rex autem Babylonis vaſa templi in contemtum divini numinis uſurpans, meritò pœnas dedit impietatis; ut & Ozochias rex Iſraelis, qui contra prohibitionem Dei Leviticum vel ſacerdotale munus invaſit. Iulianus verò ſacrilegus Imperator bona à conſtantino Auguſto collata pijs ademit, utq; religionē Chriſtianam penitus aboleret, ſcholas antiquavit, ideò cum eò tandem furoris perveniſſet, ut ad ſummam impietatem nihil reliqui faceret, miſerrimum vitæ finem ſibi accerſivit.*

Nono. Animis verò reliquorum, qui claris familijs facultatem ſe ſuoſq; alendi prorſus ademtam queruntur, fermenti Pontificij reliquias inhærere; aut faſtidium ſaltē
doctrinæ purioris obrepſiſſe, negare non poſſumus. Valeant ergò ollæ Aegyptiæ, Exodi 16. quas anxiè reſpiciunt, nec
29. *enim deſunt honeſti modi, quibus nobili ſtemmate progeniti vitam tolerent, & majorum ſuorum gloriam vel armis vel literis, arg. l. advocati. C. de advoc. diverſ. judic. in luce Reip. tueantur & illuſtrent, rectius quàm in Epicureo*

Digitized by Google

illo & ſervili vivendi genere. Monachus enim & ſervus æquiparantur. Innocen. in c. cum olim, de privileg. glos. in c. non dicatis, 12. q. 1. verbo poſſidere. Iaſon in l. cum fundus. § ſervum. ff. ſi cert. pet. gloſſa ordinaria in l. Pedius, ubi Bart. ff. de recept. arb. quemadmodum mors naturalis & ingreſſus in religionem. l. res uxoris, in fine, C. de donat. inter vir. & uxor. l. in inſulam, ubi DD. ff. ſol. matrim. Parum quoq; ſtringit, quod de ſacerdotibus in lege veteri proprium habentibus adjectum, deleto jam templo, & univerſa diſciplina Iudaica.

Poſtremo dictum Pauli reprehendens avariciam, cui ſacerdotale genus inprimis addictum, illi regna mundi minimè ſubjicit, ideò nihil ad Rhombum, cum ex diverſis mala fiat illatio. l. Papinianus ff. de minoribus. Imo *Imperatores & principes illas inofficioſas donationes quandocunq; revocare poſſunt, Bart. in l. Titia, § Imperator ff. de legat. 2. & l. 1. C. de inoffic. donat. Quia res de facili revertitur ad ſuam naturam. l. ſi unus § pactus ne peteret, verſic. quod in ſpecie. ff. de pact. ut privilegia quoq; illa immunitatis abolere, cum ex poſt facto damnum ſibi ipſis & aliis intulerint. Canoniſta in c. ſuggeſtum, ex. de decim. benefacit. l. quoties ff. de prec. Imper. offeren. cauſis illorum jampridem mutatis, ideoq; & effectus mutatus. l. pater § 1. ff. de teſtam. tut. Iaſon in l. ſciendum §. ſi fundum, nu. 6. & ſeq. ff. qui ſatisd. cogantur. Principum enim conceſſiones, non debent in præjudicium cujusquam vergere. l. 2. § meritò & § ſi quis à principe. ff. Ne quid in loco publico, clarus textus in l. ex facto in princ. ff. de vulgar. & pupill. ſubſtit. Et quod communiter prodeſt privatæ utilitati eſt anteferendum. Tex. in l. unica § pen. ff. de cadu. tollend. Bartolus & communiter Legiſtæ in l. 1. ff. ſolut. matrim. Iaſon in l. Barbarius, verſic. duodecimo facit ff. de offic. prætor. Quin Imperatorem propter ſubjectorum ſa-* 30. 31. 32.

 lutem

Digitized by Google

lutem leges emendare non piget. Iuſtinian. Novella 127. collat. 9. Ex quibus omnibus infero, cum res Chriſtiana tam propter immodicam veterum erga ſacrificulos munificentiam, quàm quod illi vivis et morientibus aequè graves teſtamenta ferè ad arbitrium ſcribi fieriq; curarunt, haereditatibus & legatis ampliſſimis contra l. Divus ff. ad l. Corn. de falſ. in ſe translatis, fecerit ingens damnũ, publicam neceſſitatem, poſtquam ab Eccleſia Romana jam diſceſſum, non obſtante aliquo inveterato errore, remedium huic malo conveniens efflagitaſſe, unde nimirum morbi initium profectum. Quo enim tempore Clericis eorumq; fundis illa privilegia conceſſa, probi fuerunt & pauci numero, re item familiari non magna, quorum omnium nunc eſt diverſa ratio. Quia ergò proceſſu temporis multiplicati, praedas egerunt ex orbe univerſo, humanumq; genus expilarunt, ablata non immeritò repetita ſunt. Sic Alberto Auſtriaco imperante utile viſum, familiam Templariorum in tota Chriſtianitate deleri, bonis illorum partim confiſcatis, partim ſacris equitibus, qui in eorum locũ ſufficiebantur, attributis.

33. *Quae enim de novo emergunt, novo indigent auxilio. l. 1. in princ. ff. de ventr. inſpic. l. de aetate § ex cauſſa ff. de interrog. action. Haec bonis omnibus pro facti illius defenſione, & Illuſtriſſimorum Germaniae Principum, quorum exemplum ſecuta nobilitas & liberae civitates, excuſatione ſatisfactura ſpero, omnia enim perſequi non eſt hujus loci, vel noſtri etiam propoſiti.*

Caeterùm in uſu bonorum cardo totius hujus negotij verti videtur. Haec enim perinde ſunt, ut illius animus qui

34. *ea poſſidet, qui uti ſcit, ei bona, qui non utitur rectè, mala. Terent. Heaut. Act. 1. Sce. 2. Sapienter ergò Socrates, qui cum quendam divitias cum facto oſtentantem haberet obviam, non prius inquit, te admirabor, quàm mihi, quo pacto fortunis tuis uti ſcias, innotuerit. Sic datis & relictis ad*

certum

Digitized by Google

*certum uſum pium, utpote pro celebratione Miſſarum, ſi
deſinat ille uſus, quod in maxima parte Europæ contigit, ea
in profanos uſus converti no debent, ſed ad alium æquè pi-
um Deoq; magis placentem, per regulam: Quod ſemel Deo
dicatum & l. legatum, ubi Bart. & alij ff. de uſufr. legat.
Sicut nec legatum tale caducum poteſt effici, idem Bart. in
l. pater § Tuſculanus. ff. de lega. 3. Ad quod tamen aucto-
ritas Apoſtolica vel Concilij Generalis olim requirebatur.
Sequens eſt ergò reditus Eccleſiaſticos, monachorum & Ve-
ſtalium conventibus nunc abolitis, juventutis erudiendæ* 35.
*cauſſa à Reformatis Statibus impendendos eſſe, deq; his rectè
docentium ſalaria conſtituenda, quia certiſſimum eſt hæc
ipſa bona ad hunc uſum principalem initio à Regibus ordi-
nata, ut eſſent alimenta & ſtipendia diſcentium & docen-
tium, minimè dubia. Summum verò bonum eſt commu-
nicatio veræ doctrinæ, & miniſtros alendos eſſe præcipit
Paulus 1. ad Corinth. 9. item Salomon Proverb. 3. Extant
etiam dicta de præmiis hujus & æternæ vitæ, Matth. 10.
& alibi; ut vidua Sareptana, quæ fovit Eliam Prophetam,
Deus viciſſim benefecit, 2. Reg. ca. 4. & Abdemelech Ae-
thiopem, qui beneficus erat erga Ieremiam, in clade Hiero-
ſolymitana ſervavit, Ieremiæ cap. 39. De vero uſu Bern-
hardus qui circa annum Chriſti 1150. claruit, ſic ad Fulca-
nem ſcribit; Conceditur tibi, ut ſi benè ſervis, de altari
vivas, non autem ut de altari luxurieris & ſuperbias.
Abuſum verò prolixè taxant cum noſtri, tum ipſi Pontifi-
cij Scriptores, ac ſemper in concilijs & Synodis, cleri petu-
lantia damnata fuit, ſicut in viſitationibus Eccleſiaſticis
harum quoq; regionum, ſeverè miniſtris injungitur, ut
honeſtè pieq; vivant, nec anſam ſcandalis præbeant. In
hac itaq; laborandum, ne abuſus rem ipſam perperã ſuſtu-
liſſe videatur, ita Chriſtus ipſe magiſter noſter & redem-
tor, templum Hieroſolymitanum non prorſus deſtruebat,*

ſed

ſed populum docebat, & ſanabat agros, Luc. 19. & Ioh. 2. Vide Philip. Melanthonis explicationem cap. 15. Epiſtolæ Paulinæ ad Romanos, & ſeptimi præcepti in Decalogo. Vtrum verò bona Spiritualia licitè divendantur, vel etiã benemeritis gratuitò concedantur, in hoc omnis difficultas. Cenſeo ergò denuo, monaſtica prædia reliqua, quoad ejus fieri poſſit, ſemper ad pios & rectos uſus, quorum ſupra facta mentio, transferenda, non ſecus ac Conſtantinus Magnus bona Donatiſtarum rectè ſentientibus adjudicavit. In templis autem populo proponatur incorrupta doctrina,

36. eaq; extra caſum obſidionis aut alterius neceſſitatis in horrea, ſtabula, vel armamentaria publica temerè non transformentur. Sepulcra quoq;, ſtatuæ & monumenta non violentur, eorum enim contrectatio fraudulenta tam privata actione ff. de ſepulc. violato, quàm publico judicio coërcetur, ut ff. ad l. Iul. pecu. & de ſacril. Tum paupe-

37. rum neceſſitas ex hac obventionum copia piè ſublevetur, Tobiæ 4. amplificatis inde quoq; Hoſpitalium & aliorum venerabilium locorum reditibus. Exigit enim Chriſtiana dilectio, ne frater tuus egeat, ideóq; primi fideles bona ſua in publicum conferebant, Act. 4. quæ communio facultatũ illi tempori valdè congruebat. Alterum eſt, quandoqui-

38. dem factum ſine novis tumultibus reddi non poteſt infectum, & facta multa tenent, quæ fieri prohibentur aliàs c. biduum 2. q. 6. l. relegatorum § ad tempus ff. de interd. & relegat. Eccleſiaſtica bona titulo lucrativo vel oneroſo quietè poſſidentes, in hoc incumbant ſedulò, ut rectè illis utendo, fruendo, ſi quid vitij realis adhuc inhæreat, penitus expurgetur. Ante omnia verò ipſi pietati dediti ſint & virtuti. Tum liberos in ſinceræ religionis exercitijs fideliter curent educari, ut illorum generi benedicatur. Pſal. 92. & 112. & domeſtica hæc Eccleſiola pij cujusdam conventus ſpeciem repræſentare videatur. Deinde ut cujusq; feret ingenium,

genium, virtutis togata vel bellica ſtudijs adoleſcentes aſ-
ſueſcant, ut viri facti Reip. domi foriſq; utilē aliquando na-
vent operam, Ac, ut rem paucis complectar, illa vita admi-
nicula, poſt ſalutarē hanc religionis mutationem nutu divi-
no illis conceſſa, ad gloriam Dei & ornandā patriam con-
ferant, minimè verò belluationibus, faſtui, vel ignavo otio
ſint immerſi. Si qui horum filios ſuos Deo quoq; totos vove-
re vellent, ut eorū voce & ſcriptis Evangelij doctrina pro-
pagaretur, maximoperè propterea collaudandi eſſent. Porrò
tam erga miniſtros Eccleſia, quorum cenſus exigui, quàm
pauperes & inopes omnes, ſint liberales & benefici, viduas,
orbos, & reliquas miſerabiles perſonas conſilio req; juvent,
annuas penſiones ſcholaſticis erogandas, aliquid etiam pro
dote virginum egeſtate laborantium, dummodo ipſis non
anguſtia, exemplo multarū civitatum, & familiarum con-
ſtituant, ſæpius in mentem ſibi revocantes, hæc bona à pro-
bis majoribus pro indigentibus etiā fundata. 12.q. 1. Ac ut
David prædam ingentē captam ex Syria & alibi ad ædifi-
cationem templi convertit; 1. Reg. 8. 1. Paralip. 19. ita ipſi
quoq; Eccleſias pro virili conſervent, reficiant, et exornent.
Quod ubi diligenter, abſq; tamen opinione meriti, & ſine
ulla impia obligatione, juxta Regulam: Fugite Idola, fece-
rint, non tantùm ipſos ex emto aut pro donato rectè poſſide-
re, ſed ſine dubio poſteritati quoq; illorum bene fore affir-
maverim, &, ex æquitate Canonica, omnibus eorum fidem,
quibus in hereditate ejusmodi prædia relicta ſunt, & per
inveſtiturā confirmata, prætulerim, maximè ſi Deo à ma-
joribus non dicata fuerint originaliter, ſed à conventibus
& abbatibus coëmta aut pignoris nomine poſſeſſa, qualia
bona, qualesq; cenſus & reditus ubivis inveniebantur. Et
aliàs uſus rerum mundanarū, utenti ſicut DEVS ordinavit,
& ad finem bonum, ſanctus efficitur, quemadmodum cibus
ipſe legitimè ſumptus, id eſt, non furto aut rapina quæſitus,

V per

39.

per verbum & precationem ſanctificatur. Nec ideò reditus prædiorum Eccleſiaſticorũ vel bona ipſa res mala ſunt, quod antea fuerint ab impijs detenta, ſicut vaſa illa Aegyptiorum non malæ res erant, etiamſi Aegyptij eſſent impij, piè ergò Iſraelitis eis licuit uti, ut plurimus alijs rebꝰ pij hodie quoq; ubi conceditur, frui poſſunt. Ac emtionibus, donationibus, locationibus, & alijs contractibus videmus ipſas res, & earum uſum planè transferri. Reſtat, ut de exceptioni-

40. *bus, quæ poſſeſſoribus Laicis hodie competunt, diſpiciamus. Ac jure quidem Novellarũ præſcriptio quadraginta annorũ religioſis domibus, tam circa res corporales immobiles, quàm circa Iura et ſervitutes cauſſam diſcontinuã habentes, opponi poteſt. Novell. conſtit. Iuſtin. 119. de præſcript. 40. annor. Innoc. in c. ſi diligenti, de præſcript. in Sexto, centenaria propter inopiã probationis ab ipſomet auctore Iuſtiniano ſublata, Tit. 7. in Authen. collat. 8. Quod etiam obtinet in territorio Saxonico, ut in Conſtit. Auguſti Electoris parte 2. Conſtit. 5. per gloſ. artic. 29. §* Der Sachſe. *lib. 1.* Landtrecht, *nulla juſta cauſſa reſtitutionem Eccleſiæ poſt lapſum quadriennij ſuadente, ut ibidem. Mobiles autem res contra Eccleſiã triennio uſucapiuntur. c. placuit § hac, de præſcript. in Sexto, authent. quas actiones. C. de Sacroſ. Eccleſ. utrobiq; præſuppoſito, quod in commercio noſtro poſſint eſſe, ut ſupra determinatum. Vlterius ipſi vel eorum hæredes præſcriptione temporis, cujus initij memoria non extat, quodq; jam ſenſim labitur, aliquando ſe tueri poterant, ita duplicatũ jus habituri, duo autẽ vincula uno ſunt potentiora, authent. itaq; C. cõmunia de legat. c. 1. de treuga et pace. Bald. in l. nemini ff. de advoc. diverſ. judic. Et ſi verò illa præſcriptio minor eſt centenaria, ut confirmat Aymon Cravetta in Tractatu de antiquit. tempor. 4. parte § abſolutis differentijs, vim tamen imperialis juſſionis habet. Iſernia in c. 1. verbo flumina, quæ ſint regalia, in l libro*

Feudorum

Digitized by Google

Feudorum l. 2. ff. de aq. pluv. arcen. ubi dicitur, Vetuſtatē pro lege haberi, quo caſu nullus titulus aut adverſarij patientia requiritur, Caſtrenſis in l. imperiū ff. de iuriſd. omn. judic. c. 1. cum ibi notat. de praſcript. in texto, ut in poſſeſſione tricennali longiſſimi temporis, ubi bona fides, alioqui praſumpta, tamen alleganda. l. adulterium cum inceſtu § idem Pollioni, & ibi Bart. ff. ad l. Iul. de adult. Tanto etiā tempore, quod hominum memoriam excedit, omne vitium purgatur, l. omnes, l. notiſſimi. C. de praſcript. 30. annor. & rei natura mutatur, l. eum qui. C. de fund. rei privat. lib. 11. ut alias quoq; tempore multa mutantur. l. in confirmando. ff. de confirm. tut. conſuetudo etiam dandi in feudum rem non ſolitā infeudari inducitur, Andr. de Iſern. in c. imperialē, § praterea ducatus, de probib. feud. alienat. per Fredericum, Qua tacito conſenſu populorum Germania introducta nunc eſt & approbata, § ſine ſcripto, & § ſeq. Inſtit. de ju. nat. gent. & civ. ut viciſſim Theologia Profeſſores, qui locum Clericorum in his terris occuparunt, Laicorum Bona tutò quoq; mercari poſſunt & licitè poſſidere, ſicut alijs etiā politicis ordinationibus uti, quia univerſa rerum natura condita eſt ad uſus piorum, ac propter eos. Et nota eſt Regula: Omnis creatura Dei bona eſt, & cum gratiarum actione ſumenda. Sola autē Romana Eccleſia centū annorum praſcriptione gaudere putatur, gloſſ. fin. in c. fin. de praſcript. in Sexto, & d. auth. quas actiones, quod cum in omnibus codicibus non habeatur, falſi ſuſpicione non caret, & in dubitationē meritò vocatur. Noviſſimè quoq; ab ordinibus Sacri Romani Imperij in Receſſu Comitiorum Auguſta Vindelicorum Anno 55. celebratorum § Dieweil aber/ *ſapienter decretum, illorum bonorum gratia neminè alterius litē movendā; ubi Principibus Evangelicis quoq; permiſſum, ut de miniſtris Eccleſiarum ſuarum liberè diſponant, idq; pacis & tranquillitatis publica cauſſa, & ade-*

vitandã, quæ ex vendicatione oritura videbatur, infinitatem, l. ſi moram ff. ſol. matr. l. qui bona fide ff. de damno infecto, Salus enim Populi ſuprema Lex eſto. Ac licet anno inſequenti, videlicet 56. Maria regina Angliæ reſtitutionẽ bonorum Eccleſiaſticorum valdè urgeret, cum tamen illa paßim à magnatibus poßiderentur, tantùm decimas impetravit, miniſtro ad hoc uſa Cardinali Reginaldo Polo conſanguineo ſuo. Ferdinandus verò laudatiß. Imperator, Oratoribus ſuis ad Concilium Tridenti Anno 62. à Pontificijs celebratum, mißis, inter alia & hoc dedit in mandatis; Patres illi Conventui præſidentes quoq; commonefacerent, ut articulum, de Bonis Eccleſiaſticis diſtractis, & in uſus profanos converſis, planè præterirent, & ſic rem totam in poſterum cenſuit eſſe diſsimulandam. Cum itaq; & poſteriora derogent prioribus. l. ſed & poſteriores ff. de legib. l. pacta noviſſima. C. de pactis, arbitror omnes eccleſiaſticarum rerum poſſeſſores exceptione rei judicatæ, quam cauſſæ cognitio legitima per tot annos anteceßit, quæq; pro veritate habetur l. res judicata ff. de reg. jur. & de non ente ens, deq; albo facit nigrum, ſecund. Iaſonem in l. Iuliano in 2. lectura, ff. de condict. indeb. nunc tutiores, quemvis ſalva religione poſſe removere, quisquid oblatret aliquorum malevolentia, qui dum imbecillioribus fucum facere conantur, in reprehendendo ſibiipſis non conſtant, &, ſi benè ſe norint, ipſi primævam originem ad abbatem vel præſulem quendam referunt, aut illorum certè liberalitate creverunt & aucti ſunt.

42. (margin, beside "tem, l. ſi moram")

43. (margin, beside "rum poſſeſſores")

Hæc quidem mea fuit hac de controverſia ſententia, in diſceptione ſatis acri, cum Iureconſulto quodam Lipſienſi, cui ſi quis adhuc adverſabitur, illi minimè ſuccenſebo, ſed ubi rationes meliores attulerit, egregiè de me multiſq; alijs fatebor eſſe meritum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

F I N I S.

Digitized by Google

EPITAPHIA
ANTIQVA ET RECENTIA, HOMINVM, QVI IN S. LITERIS CELEBRANTVR:

REGVM ITEM ET PRINCIPVM, THEOLOGORVM, DOCTORVM & aliorum clarorum Virorum: Tùm Mulierum, Infantum & variorum caſuum: &c.

FACTA, COLLECTA, ATQVE digeſta in LIBROS QVATVOR.

à

PANTALEONE CANDIDO Auſtriaco.

VITTORIO MANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

ARGENTORATI, TYPIS IOSIAE Rihelij, per Andream Rietſchium.

Anno M. DC.

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO
PANTALEON CANDIDVS
S. P. D.

Iſta ſepulcrorum damus, en, monumenta ſacrorum,
Paucula de multis, optima deq́ bonis:
Vt relegas oculis, animo teneasq́ fideli,
Condecoret Manes gloria quanta pios!
Vt vitam egregijs ornes virtutibus, & pòſt
Fata, colat tumulum poſthuma fama tuum:
Vtq́ fide CHRISTVM *viuas, mortalibus oris,*
Et cœlo tandem ſit tibi læta quies.
Antè Themiſtocles leuior, quùm deìndè videret
Miltiadis, magni clara trophæa Ducis:
Caſtior, in ſomnis vixit, dixitq́, trophæa
Se ſinere haud ſomnum carpere Miltiadis.
Cui laus, ad laudis, ſtimulos non addit, amorem:
Hic nullo laudis nomine dignus erit.
Cui cœli, in vita hac non eſt habitatio curæ:
Pòſt obitum flagrans, huic domus, Orcus erit.
Ergò buſtorum quùm proſit lectio tantum,
Et vitæ, & mortis, commoneatq́ tuæ,
Doctior & poſsis hinc reddi, Candide lector:
Non liber ingratus debet hic eſſe tibi.

Digitized by Google

Lectori S.

Hæc omnis generis tibi quid monumenta loquuntur?
Quid te tot tumuli, buſta, rogique docent?
Ne nimis iſta tibi facies arrideat orbis:
Quæ ſpecies mundi, qui decor, omnis abit.

Heinr. Fabric. Tabern.

1. Corinth. 7.

Παράγει τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου τούτου.

Ad Auctorem.

CANDIDE PANTALEON mores narrare ſepultûm
Quid juvat? Officio ſunt ea digna Tuo.
Sic etenim Virtus creſcit laudata: graviq;
Caſtigata notâ ſic fugimus Vitia.
Hæc Tibi cauſa fuit, quâ non eſt juſtior ulla:
Hæc eſt Faſtorum finis amata bonis.

Georg. Keſsler. Bipont.

EPITA

Digitized by Google

EPITAPHIORVM
LIBER I.
HOMINVM IN S. BIBLIIS celebratorum.

Manibus Beatis.

FOElices animæ, quæ iam in cæleſtibus oris,
Inter & electos, Angelicosq; Choros,
Humanas extrà curas, extràque laborem,
In ſolo capitis gaudia læta DEO:
Hanc partâ vobis gratamur pace quietem,
Inq; Abrahæ dulci mollia fata ſinu.
Non purgatrici fornacis in igne calentis,
Eſt opus, elato funere, Spiritibus,
Romulidæ vt perhibent, in Purgatoria Manes
Balnea, mundandos mittere qui ſatagunt:
Vt penitus cunctas exurent vndique labes,
Cum quibus ad cœlum ſit redijſſe nefas.
Omnia nam CHRISTVS *purgauit crimina noſtra,*
Cunctorum ſcelerum miſſio ſitq; Fide.
Latro fuit ſcelerum grauium reus in cruce: facta eſt
In cruce cui ſcelerum gratia, latro fuit,
Vna fides cæli ſuſtollit ad aſtra fideles:
Deijcit inferna ad Tartara, nulla fides.
Languida quæq; fides licet eſt: tamen illa fides eſt,
Eſt incredulitas, illi, vbi nulla fides.
Non minus eſt homo paruus homo, non eſt minus infans
Paruus, homo: quàm qui corpore magnus homo eſt.

Digitized by Google

Igne fauilla micat, licet haud ſit maximus ignis,
Eſt aqua, gutta, licet non ſit abyſſus aquæ,
Gutta cadit ſub aquam, cadit ipſa fauilla ſub ignem
Conſortes fidei, quiſq; fidelis adit.
Damnantur quicunq; fide caruêre, fides ſit
Quantulacunq;, fides ſit modò vera, beat.
Vos igitur, vos, in Domino, qui fata ſubiſtis:
Vos nunc in Domino vita beata manet.
Vos mortalis adhuc induti corporis artus,
Iudicij & motus non caruiſtis ope:
Iam motus vobis præſtò, & ſapientia maior,
Quùm graue membrorum depoſuiſtis onus.
Vos ſincera, DEI *in vobis lucentis imago,*
Fulgetis magni dotibus Archetypi,
Adſpicitisq; DEVM *coràm iam in lumine claro,*
Nec vos iam labes amplius vlla notat.
Innumeri adſtatis cætus in veſtibus albis,
Supremi rerum præſidis antè thronum.
Nam vos deliciæ dulces, vos dulcia cunctis
Planctibus exemtos gaudia ſemper habent.
Vos manibus palmas virides, oleasq; gerentes
Viciſtis valida triſtia quæq; fide.
Vos dulces hymnos Domino, laudemq; ſonorum,
Vos Halleluia concinitisq; DEO.
Vos pro conſeruis facitis vota inclita veſtris,
Quos mundus, mundi perſequiturq; furor.
Vos hîc corporeis quondam benè viribus vſa,
Gaudia nunc ipſum ducitis antè DEVM.
Non meritis proprijs tamen has veniſtis in oras,
Quamuis & laudem quo meruiſtis, erat:
Sed fauor hoc vobis, & ſummi gratia CHRISTI,
Illius & mortis paſſio dura dedit.
Ille ſtolas veſtras proprio cum ſanguine lauit:

Crimina

Crimina deleuit ille cruore ſuo.
Nam qui fidenti comprendit pectore CHRISTVM,
Dum mortalis in hoc corpore vita manet:
Hic habet æternam poſt vltima funera vitam,
In manibus ſummi viuit & ille DEI.
Veſtra cubant tacitis emortua membra ſepulcris,
Circuit & paruos magnus honos tumulos.
Nec prius ex illis membra illa excita reſurgent,
Aut poterunt grata lucis honore frui:
Quàm tuba terribilem ſonitum dabit, æthere ab alto
Quùm medio Iudex aëre CHRISTVS *erit.*
Cernere tunc vacuas ſua corpora reddere tumbas,
Qua Sol exoritur, quaq́; recumbit, erit.
Siue quis horrendis amiſit in ignibus artus,
Siue quis in tumidis membra reliquit aquis:
Omnia virtute extabunt reuocata potenti,
Quando ſuo vocem CHRISTVS *ab ore dabit:*
Surgite mortales ab humo, iam ſurgite ad auras,
Quæ vos cunq́; domus, quæ loca cunq́; tenent.
Corpora tunc animis reddet ſua vera quibusq́;,
Totus vt ex mente & corpore conſtet homo.
Ibitis ad ſummi cum corpore læta Parentis
Gaudia, quîs viuis gaudia CHRISTVS *erat.*
Tunc erit & vita, & perfectior ipſa voluptas,
Quæ vos, quæ demto, corpora, fine manet.
Contrà, qui CHRISTVM *viui ſpreuêre, ſubibunt*
Illi, Acherontæos carne animoq́; lacus:
Supplicia æternùm heîc miſeri patientur & ignes,
Quîs nec temperies, nec modus vllus erit.
At vos ſanctæ animæ, vobis nil tale timendum,
Quîs fuit in vita viuere cura DEO.
Plena repurgato nam corpore gaudia vobis,
Sunt in ſupremo, ſorsq́; parata, polo.

Intereà

Intereà veſtris cupidi reuerenter ad vrnas,
Quod facere extremum poſſumus officium,
Spargemus molles violas, floresq́ue, roſasq́ue:
Vltimus hic vobis perſoluëtur honos.

Adami primi hominis, qui obijt Anno Mundi 930. Hieroſolymis.

HAc ego primus homo, de nomine dictus Adamus,
Poſt obitum egeſta ſum tumulatus humo.
Cùm DEVS *ex nihilo, Verbo mediante creaſſet*
Quæq́ue ſolo conſtant corpora, quæq́ue polo:
Me ſimul humana, ruffa è tellure, figura
Condidit, os, oculos, membra caputq́ue dedit,
In me perfecta Archetypi fulgebat imago,
Omnis iuſtitiæ, ac omnis iudicij:
Hanc niſi fallacis vafra quòd fraude colubri,
Amiſi, heu, lapſu turpiter ipſe meo.
Addidit huic culpæ magnam quoq́ue fœmina cauſam,
Ipſa meo facta è corpore corpus Eua.
Vnde auerſa DEO *mens, unde auerſa voluntas:*
Vnde repentinæ mortis aperta via eſt.
At facilis iactura mei foret unius: omne
Si non humanum tangeret illa genus.
Quicquid at eſt, inuenta graui eſt medicina dolori:
Vnde ſalus alijs contigit, unde mihi.
Fæmineo nobis venturum è ſemine ſemen,
Promiſit lætis vocibus ipſe DEVS:
Quodq́ue caput Satanæ obtereret, vitaq́ue referret,
Morte ſua CHRISTVS *munera vera, noua.*
Sic ego, ſic Eua afflictæ ſolatia menti
Senſimus, accenſa eſt firmaq́ue corde fides,

Hacq́ue

Hacq́ fide CHRISTI, *quod erat traduximus æuum:*
Hancq́ docebamus pignora cara fidem.
Cepta coli tellus, me principe, cepta parari
Frugibus è natis prima alimenta ſolo.
Primus in excelſi inquiſiui ſidera cæli,
Quos habeant curſus æthere, quasq́ vices.
Primus & inueni doctas mortalibus artes,
Quîs hominum nunquam vita carere poteſt.
De me, deq́ mea, cuncti conſorte creati
Sunt homines: totus quotquot hic orbis habet.
Filius vt fratrem leto contradidit, eheu,
Aſpexi his oculis, ah miſer, ipſe meus.
Nongentos poſtquàm ac triginta vixeram in annos,
Paulatim vires deficerentq́ mihi,
Autor inhalabat membris quam primitus, auram,
Rurſus ad autorem tranſijt aura DEVM:
Olim quo CHRISTVS *perpeſſa morte iacebit,*
Hac mea in hoc volui membra iacere, loco.
Vt viua, in vitam quando de morte reſurget:
Ipſe eadem ſecum CHRISTVS *ad aſtra ferat.*

Pantal. Candid.

Enochi.

Eſſe putas buſtum, ſaxum hoc? Non: ſed monumentum eſt
Henochi, referens nomina ſancta patris.
Illius haud etenim in terris eſt corpus humatum,
In cælo haud expers corporis eſt anima.
Tàm ſanctè in terris membris eſt vſus: vt illa
Iuncta anima ad cælum vexerit ipſe DEVS.
Significans, aliam reſtare à funere vitam,
Ac animas iterum membra habitura ſuas.

Pantal. Candid.

Digitized by Google

Mathuſalemi, obijt Anno Mundi 1656.
ætatis 969.

QVo nemo in terris traduxit longius æuum,
Conditus hac ego ſum Mathuſalemus humo.
Pene decem in viuis durando ſecula vici
Annos, ter demas ſi tamen inde decem.
Ipſo diluuij diſceſſi mortuus anno,
Me viuo nequijt obruere vnda malos.

Pantal. Candid.

Nohæ, obijt Anno Mundi 2006.
ætatis 950.

HIc ego Noha pater poſt irrequieta quieſco
Tot fata, & vita dira pericla mea,
Diluuio mundum vidi perijſſe priorem,
Et mundum peperi conditor ipſe nouum:
Tres nati, totidemq́; nurus, ego, fidaq́; coniux,
In terra fuimus tunc hominum omne genus.
Nos Pater omnipotens fluida ſeruauit in Arca,
Cætera cùm magnis turba periret aquis.
Antè DEVM *nam quùm ſcelerate duceret æuum,*
Exitio mundum tradidit ipſe DEVS.
Nec mea, proh, duris caruit domus ipſa querelis,
Degener ex noſtris filius vnus erat.
Autor ego dulcem vini reperi ipſe liquorem:
Intulit autori vim liquor ille ſuo.
Creſcite nati, & tu gaude Semeia proles,
Ex te Meſſias exoriturus erit.

Pantal. Candid.

Abraha-

Abrahami Patriarchæ, obijt An. Mun. 2123. ætatis 175. in Mambre.

IN Meſopotamijs degebam finibus Abras,
Culta fuit ſacris lux Orimaſda meis:
Me DEVS *omnipotens terris diſcedere ab illis,*
Et Canaæ fines iuſsit adire ſoli.
Continuò monitis parens, Dominoq́; vocante,
Deſerui patriam deſeruiq́; meos:
Me pater eſt Thare fraterq́; ſecutus, & vxor,
Iuncta fuit ſterili quæ mihi Sara, toro.
Sarai, dixit DEVS *hinc tua Sara vocetur,*
Antè Abras fueras, pòſt Abrahamus eris.
Spondebat Gnatum Dominus, quem præbuit idem,
Ex quo Meſsiæ ſtirpis origo foret:
Qui meritis omnes poſsit benedicere gentes,
E morte ad ſuperos & reuocare, ſuis.
His adhibens verbis firmam fiduciam, in illa,
Me Domino, ſaluus, iuſtificante, fui.
Hinc ego credentum genitor ſum dictus, & autor,
Si mecum viuant conditione pari.
Et moriens fixa venturo in Semine mente,
In cœli vitam ſede ſuperſtes ago:
Quiq́; mea fidei conſortes lumina claudunt,
Hos vehet in gremium cœlica turba meum.
Hanc precio terram pro meq́; meisq́; paraui,
Oſſa ſub hac Sara ſunt tumulata mea.
Huc etiam iuſsi à vita mea membra recondi,
Separet à prauis nos locus atq́; fides.

Pantal. Candid.

Iſaaci Patriarchæ, obijt Anno Mundi 2228. ætat. 180.

in Mambre.

E X ſterili, fato, natus genitrice ſub auras,
Meſſiæ inſignis ſpes & imago D E I,
Me pater Abramus Moriæ ſub montibus altis,
Imperio voluit ſacrificare D E I.
Cara mihi geminos dedit ipſa Rebecca puellos,
Ex quibus Eſaus hic, ille Iacobus erat:
Ex quibus electus fuit hic, fuit ille relictus,
Ex aluo quamuis prodijt ille prior.
Per varios caſus, varia & diſcrimina rerum,
Tranſegi vitæ tempora dura meæ.
Quo pater & genitrix poſt fata ſuprema teguntur,
Iſacus hoc etiam contegor in tumulo.

Pantal. Candid.

Iacobi Patriarchæ.

in Mambre.

Q Vem D E V S *innumeris exercuit vndiq; fatis,*
A pueris ſummi ad caniciem ſenij,
Hoc mea Iacobus poſt vltima fata ſepulchro
Iſacides natis oſſa locanda dedi.
Prœripui primo genituræ munera fratri,
Auſpicio matris conſilioq; meo.
Illius hinc odio terram Bathuelis adiui
Atq; greges paui, care Labane, tuos.
Qui mihi mercedis ne fruſtra ſeruolus eſſem
In fœdus natas connubiale duas
Iunxiſti, mihi quæ lecti duodena dederunt
Pignora, de noſtro ſtemmate progeniem.
Hæc totidem poſt me Patriarchas nomine dicent
Quòd baſis, electi, ſint generisq; patres.

Si num.

Si numeres ſtellas cœli, numerabis & horum
Progeniem, ſumma hæc gloria ſtirpis erit.
In patriam rediturus eram vi Numinis actus,
Heu quibus occurri tunc miſer ipſe malis?
Me ſocer inuaſit turmis: cùm milite frater
Eſauus voluit nos iugulare ſuo.
Ipſe metu trepidans DOMINVM *magno ore vocaui:*
Cum DOMINO *mihi quàm lucta ibi dura fuit?*
Vici tunc aliud nomenq́ reporto, Iacobus
Antè, ſed Iſraël poſtmodo, dictus eram.
Placatum vidi fratrem, Canaaq́ ſubiui
Limina cum gregibus pignoribusq́ meis.
Heu mihi ſed quantum natusq́ & nata dolorem
Turpibus admiſſis, heu, peperêre ſuis?
Cara puerperij languore Rahelis obiuit
Beniamium puerum: ſed tamen antè dedit.
Lugebam natum, vt rebar, malè obiſſe Ioſephum,
Ante alios ſoboles cara Ioſephus erat.
Compertum eſt Pharijs illum regnare ſub oris,
Inualuit toto triſtis in orbe fames:
Illûc cum natis & cum natabus adiui,
Solamen ſenio res fuit illa meo:
Ac ibi bis ſeptem poſt annos funere ſancto
Oppetij in vera fata ſuprema fide.
Hûc poſtliminio monumenta ad auita relatus,
Expecto quo me tempore, CHRISTE, *voces,*
Et tecum æthereas cum corpore ducar ad arces:
Siue vbi deuicta morte reſurgis humo:
Siue ad iudicium, cùm mundi in fine redibis:
Sic fuit in CHRISTO, *mors mihi grata, mori.*

Pantal. Candid.

Aaronis. in Deſerto.

SVmmus in hac ſitus eſt Aaron tellure Sacerdos,
Placatus populo eſt, quo mediante DEVS.
Sacra celebratas holocauſta cremauit ad aras,
Fecit & æterno vota preceſq; DEO.
Et quid quiſq; ſuo ſignaret imagine ritus,
Monſtrauit verbis explicuitq; ſuis.
Ille Sacerdotis ſuprema in ſecula CHRISTI
Eximium ſancto geſſit honore typum.
Quæ ſacra prodibis ſoboles Antiſtitis huius,
Officij diſcas munus obire tui.

Pantal. Candid.

Moſis.

OB meritum, nomenq; tuum, celeberrime Moſes,
Nos populi Iſrælis concio tota tui,
Pontificale tibi cuperemus ponere buſtum,
Inq; illo titulos ſcribere magnificos:
Si modò conſtaret, quæ ſint in parte locatæ
Corporis exuuiæ relliquiæq; tui.
Nam Dominus, ſed vbi, haud notum eſt mortalibus vllis,
Te manibus terræ condidit ipſe ſuis:
Nil tibi opus tumba eſt, pro corpore Biblia tota
Optima virtutis ſunt monumenta tuæ.

Pantal. Candid.

Bileami Syri.

HAc Bileamus ego Syrus, natuſq; Beoris,
Myſta pius iaceo contumulatus humo:
Vt diras genti Hebrææ, clademq; precarer
Moabo accitus rege iubente fui:
Pro diris fauſta & bona quæq; aurita precari
Me docet humana voce locuta, pecus.

Vox

Vox mea venturum Meſſiam nunciat Orbi,
Et populis caſum pluribus edo ſuum.
Turpiter hoc nimium, nimiumq́ procaciter egi:
Conſilium regi triſte latensq́ dedi.
A Moabitis gens inuitata Iacobi,
Idolis facta eſt ſpurcicieq́ rea.
Aſt ego dùm populi ferior iaceoq́ tumultu,
Ipſe tuli ſceleris præmia digna mei.

Pantal. Candid.

Gideonis Ducis Iſraëlis.

CVltor agri Gideon populo præfectus Iudæ,
Auſpicio Domini præueniente, fui
Dictus Ierubaal, vaſtata ex æde Baalis,
Quem coluit genitor per ſua tecta, meus.
Tercentum eduxi iuuenes, quo milite fudi
Ex Midianitis millia multa viris.
Quin etiam miro vici ſtrategemate eosdem,
Fictilis occultas obtegit olla faces:
Quas manus vna gerit, raucum manus altera cornu,
His armis hoſtes aggredimurq́ feros.
Frangitur olla, facesq́ micant, ſonitusq́ tubarum
Perſtrepit, his ſubitò territus hoſtis abit:
Et rapidum in ſeſe & ſua vertit viſcera ferrum,
Centum & triginta millia ſicq́ cadunt.
Sebus & Orebus, Zeba & Salmana, ducesq́
Illorum, noſtra cæſi obiere manu.
Abſt inui regis clarum mihi ſumere nomen,
Libertas genti ſtat vetus illa meæ.
Quùm quadraginta populus mihi paruit annos,
Fecêre exuuijs hac monumenta meis.

Pantal. Candid.

Jephte,

Jephte, *Iudic. 12.*

E Iecêre domus me inſidi è limine fratres,
Aggredior forti pectore Martis opus:
Me Gileaditæ legerunt denique ciues
In belli ſummum dira per arma, Ducem:
Patre ſatas vinco gentes Ammone rebelles,
Palmam præbenti nuncupo vota DEO,
Quod mactare velim ſacras reuerenter ad aras,
Quod primum occurrit me redeunte domum,
Occurrit bello cariſſima nata regreſſo,
Mactata eſt, eheu, filia cara mihi.
Lædere me volui potius, quàm lædere Diuos,
Non ſuperis fas eſt frangere velle fidem.
Quadraginta hominum, nec non duo millia fudi,
Gens hæc Ephraim perdita clade fuit.
Sic quod detraxit materna infamia laudis:
Addidit hoc belli gloria parta, mihi.

Pantal. Candid.

Hiobi, *Hiob. cap. 19. verſ. 25.*

V Iuit adhuc: nec enim dubito, meus ille Redemtor,
Viuit, & ex putri me reuocabit humo.
Pelle mea rurſum circumdabor, vltima quùm lux
Ingruet, inq́, mea carne videbo DEVM:
Quem mihi ſum viſurus ego: quem lumine claro
Ipſemet aſpiciam poſtmodò non alius.
Mors mea quùm non mors, ſed ſit reparatio vitæ:
Cur animo nolim cum patiente mori?

Pantal. Candid.

Aliud.

Aliud.

Scio, (tuis me territas quid unguibus,
Et dente, Letum, lurido?)
Scio, meus quòd Liberator æthere
Viuit, die nouiſſimo
Telluris excitabit is me puluere:
Mea, DEVM, datus cute,
Circum-videbo, lætus iſto lumine
Hærebo vultu Numinis,
Oculis meis, & non alius intuens
Noſtræ ſalutis vindicem.

Adam. Siberus.

Heli Sacerdotis.

Dux populi, ſanctusq́; DEI in Siloë Sacerdos,
Hoc Heli poſui mortuo membra ſolo.
Indulſi nimium facientibus impia natis,
Sacra quibus curæ thura adolere fuit.
Non potui verbis hos emendare ſeuerus,
Et duris metui ſubdere verberibus,
Admonuit Vates, Samuel monuitq́; Miniſter,
Et puer, & Vates viluit ille mihi.
Dira fames ſubijt, ſubijt lacrymabile bellum,
In quo mî nati diſperière duo.
Rumor vt hic triſtes ferijt mihi flebilis aures,
Eſt ceruix ſella fracta, ruente, mea.
Non procul à centum mea meſſibus abfuit ætas,
Et quater exegi munia ſacra decem.

Pantal. Candid.

Davidis Regis & Prophetæ.

Hieroſolymis.

Hoc mea Dauidis ſunt oſſa recondita buſto,
Iſraelis regi paruit ora mihi.

Digitized by Google

Iſaio genitus patre ſum de ſtemmate Iudæ,
Abramides ſanctus quem generabat auus.
Ex humili puer in regem delectus ouili,
Suſcepi Saulis regia ſceptra loco.
Cura fui rerum Domino, celebrisq; futuri
Meſsiæ genitor ſanguine, more typus.
Quas merui, ſolui, pœnas, ſeruator & vltor
Affuit in cunctis mi DEVS *ipſe malis.*
AEdificare DEO *volui venerabile templum:*
Sed vetuit nimius fuſus ad arma cruor.
Tu Salomon facturus id es, cariſsime fili,
Sub te perpetuæ tempora pacis erunt.
Compoſui dulces hymnos, dulcisq; ſonoram
Ad vocem digitis eſt lyra pulſa meis.
Dum Dominus Dominum ipſe meum, venientibus annis,
Ad dextram iubeat ritè ſedere ſuam,
Ex leto reducem, deſtructoremq; barathri,
Luce coruſcantem corporis æthereâ.
Intereà hîc recubo, meus is me tunc quoq; ſecum,
Transferet ad cælos inclitus ille nepos.
Quod ſupereſt, mea gens, animo ſpes concipe lætas,
Ac aliquam facili pectore ferto moram:
Quos cecini dulces, recinas, age, tu quoq; Pſalmos:
Quæ feci, facias, tu quoq; vota DEO.

Pantal. Candid.

Salomonis regis.

Hieroſolymis.

HOc opus hac ingens operoſæ gloria molis,
Buſtum magnifici ſe probat eſſe viri.
Quo non ſplendidior, non ditior extitit alter,
Solis in Heſperijs occiduisq; plagis,
Conditus hîc Salomon rex eſt, rex inclitus ille,

Præſi

Digitized by Google

Præfuit imperio qui tibi Iuda ſuo.
Cuius doctrina, & gnara ſapientia mentis,
Non habuit toto mundus in orbe parem.
Quod Dominus voluit fieri ſibi nobile templum
Extructum Salomon, cernis vt ipſe, dedit.
Ingens, auguſtum & latè memorabile templum,
Cui nullum ſimile magnus hic orbis habet.
Quæ fuit in terris Regina decora Sabæis,
Egregij pollens dotibus ingenij:
Hunc adijt, magnam illius quo cerneret aulam,
Audiret tanti verbaq; docta viri.
Turba puellarum deceperat Ethnica regem,
Quorum atheis ſtruxit fana profana DEIS:
Reſipuit tamen, & Meſſiæ in amore quieſcens,
Terrenas liquit cœli & adiuit opes.

Pantal. Candid.

Roboami Regis Iudæ.

TOt Salomonis opum, tam regni diuitis hæres,
Hoc ingens buſtum rex Roboamus habet.
Rex potuit felix & præſtantiſsimus eſſe,
Illius & regni fine carere decus:
Ni rigidus nimis in ciues duruſq; fuiſſet,
Impoſitum ac illis ni duplicaſſet onus,
Spreuiſſetq; ſenum conſulta ſalubria, ſtultè
Amplexus iuuenum friuola dicta virûm.
Ieroboam ſubitis regnum ſibi vendicat armis,
Hunc populi ſequitur maxima turba Ducem.
Inq; duas regnum ſic ſciſſum eſt nobile partes,
Illa tribus geminas ſubdidit, illa decem.
Ne premite ò nimio ſubiectos pondere reges,
Imperijs duris ardua regna labant.

Pantal. Candid.

per verbum & precationem ſanctificatur. Nec ideò reditus
prædiorum Eccleſiaſticorũ vel bona ipſa res mala ſunt, quod
antea fuerint ab impijs detenta, ſicut vaſa illa Aegyptiorum
non malæ res erant, etiamſi Aegyptij eſſent impij, piè ergò
Iſraelitis eis licuit uti; ut plurimis alijs rebꝰ pij hodie quoq;
ubi conceditur, frui poſſunt. Ac emtionibus, donationibus,
locationibus, & alijs contractibus videmus ipſas res, & ea-
rum uſum planè transferri. Reſtat, ut de exceptioni-
40. bus, quæ poſſeſſoribus Laicis hodie competunt, diſpiciamus.
Ac jure quidem Novellarũ præſcriptio quadraginta annorũ
religioſis domibus, tam circa res corporales immobiles, quàm
circa Iura et ſervitutes cauſſam diſcontinuã habentes, oppo-
ni poteſt. Novell. conſtit. Iuſtin. 119. de præſcript. 40. an-
nor. Innoc. in c. ſi diligenti, de præſcript. in Sexto, cente-
naria propter inopiã probationis ab ipſomet auctore Iuſtini-
ano ſublata, Tit. 7. in Authen. collat. 8. Quod etiam obti-
net in territorio Saxonico, ut in Conſtit. Auguſti Electoris
parte 2. Conſtit. 5. per gloſ. artic. 29. § Der Sachſe. lib.
1. Landtrecht, nulla juſta cauſſa reſtitutionem Eccleſiæ poſt
lapſum quadriennij ſuadente, ut ibidem. Mobiles autem
res contra Eccleſiã triennio uſucapiuntur. c. placuit § hac,
de præſcript. in Sexto, authent. quas actiones. C. de Sacroſ.
Eccleſ. utrobiq; præſuppoſito, quod in commercio noſtro poſ-
ſint eſſe, ut ſupra determinatum. Vlterius ipſi vel eorum
hæredes præſcriptione temporis, cujus initij memoria non
extat, quodq; jam ſenſim labitur, aliquando ſe tueri pote-
rant, ita duplicatũ jus habituri, duo autẽ vincula uno ſunt
potentiora, authent. itaq; C. cõmunia de legat. c. 1. de treu-
ga et pace. Bald. in l. nemini ff. de advoc. diverſ. judic. Et ſi
verò illa præſcriptio minor eſt centenaria, ut confirmat Ay-
mon Cravetta in Tractatu de antiquit. tempor. 4. parte §
abſolutis differentijs, vim tamen imperialis juſſionis habet.
Iſernia in c. 1. verbo flumina, quæ ſint regalia, in Vſibus

Feudorum

Feudorum l. 2. ff. de aq. pluv. arcen. ubi dicitur, Vetuſtatē pro lege haberi, quo caſu nullus titulus aut adverſarij patientia requiritur, Caſtrenſis in l. imperiū ff. de juriſd. omn. judic. c. 1. cum ibi notet. de præſcript. in textu, ut in poſſeſſione tricennali longiſſimi temporis, ubi bona fides, alioqui præſumpta, tamen allegãda. l. adulterium cum inceſtu § idem Pollioni, & ibi Bart. ff. ad l. Iul. de adult. Tanto etiã tempore, quod hominum memoriam excedit, omne vitium purgatur, l. omnes, l. notiſſimi. C. de præſcript. 30. annor. & rei natura mutatur, l. eum qui. C. de fund. rei privat. lib. 11. ut alias quoq; tempore multa mutantur. l. in confirmando. ff. de confirm. tut. conſuetudo etiam dandi in feudum rem non ſolitã infeudari inducitur, Andr. de Iſern. in c. imperialē, § præterea ducatus, de prohib. feud. alienat. per Fredericum. Quæ tacito conſenſu populorum Germaniæ introducta nunc eſt & approbata, § ſine ſcripto, & § ſeq. Inſtit. de ju. nat. gent. & civ. ut viciſſim Theologiæ Profeſſores, qui locum Clericorum in his terris occuparunt, Laicorum Bona tutò quoq; mercari poſſunt & licitè poſſidere, ſicut alijs etiã politicis ordinationibus uti, quia univerſa rerum natura condita eſt ad uſus piorum, ac propter eos. Et nota eſt Regula: Omnis creatura Dei bona eſt, & cum gratiarum actione ſumenda. Sola autē Romana Eccleſia centũ annorum præſcriptione gaudere putatur, gloſſ. fin. in c. fin. de præſcript. in Sexto, & d. auth. quas actiones, quod cum in omnibus codicibus non habeatur, falſi ſuſpicione non caret, & in dubitationē meritò vocatur. Noviſſimè quoq; ab ordinibus Sacri Romani Imperij in Receſſu Comitiorum Auguſtæ Vindelicorum Anno 55. celebratorum § Dieweil aber / *ſapienter decretum, illorum bonorum gratia nemini ulterius litē movendã; ubi Principibus Evangelicis quoq; permiſſum, ut de miniſtris Eccleſiarum ſuarum liberè diſponant, idq; pacis & tranquillitatis publicæ cauſſa, & ad e-*

vitandã, quæ ex vendicatione oritura videbatur, infinitatem, l. ſi moram ff. ſol. matr. l. qui bona fide ff. de damno
42. *infecto, Salus enim Populi ſuprema Lex eſto. Ac licet anno inſequenti, videlicet 56. Maria regina Angliæ reſtitutionē bonorum Eccleſiaſticorum valdè urgeret, cum tamen illa paſſim à magnatibus poſſiderentur, tantùm decimas impetravit, miniſtro ad hoc uſa Cardinali Reginaldo Polo conſanguineo ſuo. Ferdinandus verò laudatiß. Imperator, Oratoribus ſuis ad Concilium Tridenti Anno 62. à Pontificijs celebratum, miſsis, inter alia & hoc dedit in mandatis; Patres illi Conventui præſidentes quoq; commonefacerent, ut articulum, de Bonis Eccleſiaſticis diſtractis, & in uſus profanos converſis, planè præterirent, & ſic rem totam in poſterum cenſuit eſſe diſſimulandam. Cum itaq; & poſteriora derogent prioribus, l. ſed & poſteriores ff. de legib. l. pacta novißima. C. de pactis, arbitror omnes eccleſiaſticarum re-*
43. *rum poſſeſſores exceptione rei judicatæ, quam cauſſæ cognitio legitima per tot annos anteceßit, quæq; pro veritate habetur l. res judicata ff. de reg. jur. & de non ente ens, deq; albo facit nigrum, ſecund. Iaſonem in l. Iuliano in 2. lectura, ff. de condict. indeb. nunc tutiores, quemvis ſalva religione poſſe removere, quicquid oblatret aliquorum malevolentia, qui dum imbecillioribus fucum facere conantur, in reprehendendo ſibiipſis non conſtant, &, ſi benè ſe norint, ipſi primævam originem ad abbatem vel præſulem quendam referunt, aut illorum certè liberalitate creverunt & aucti ſunt.*

Hæc quidem mea fuit hac de controverſia ſententia, in diſceptione ſatis acri, cum Iureconſulto quodam Lipſienſi, cui ſi quis adhuc adverſabitur, illi minimè ſuccenſebo, ſed ubi rationes meliores attulerit, egregiè de me multiſq; alijs fatebor eſſe meritum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE *F I N I S.*

EPITAPHIA

ANTIQVA ET RECENTIA, HOMINVM, QVI IN S. LITERIS CELEBRANTVR:

REGVM ITEM ET PRINCIPVM, THEOLOGORVM, DOCTORVM & aliorum clarorum Virorum: Tùm Mulierum, Infantum & variorum caſuum: &c.

FACTA, COLLECTA, ATQVE digeſtain LIBROS QVATVOR.

à

PANTALEONE CANDIDO Auſtriaco.

VITTORIO MANUELE BIBLIOTECA ROMA

ARGENTORATI, TYPIS IOSIAE Rihelij, per Andream Rietſchium.

Anno M. DC.

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO
PANTALEON CANDIDVS
S. P. D.

Iſta ſepulcrorum damus, en, monumenta ſacrorum,
Paucula de multis, optima deq́ bonis:
Vt relegas oculis, animo teneasq́ fideli,
Condecoret Manes gloria quanta pios!
Vt vitam egregijs ornes virtutibus, & pòſt
Fata, colat tumulum poſthuma fama tuum:
Vtq́ fide CHRISTVM *viuas, mortalibus oris,*
Et cœlo tandem ſit tibi læta quies.
Antè Themiſtocles leuior, quùm deìndè videret
Miltiadis, magni clara trophæa Ducis:
Caſtior, in ſomnis vixit, dixitq́, trophæa
Se ſinere haud ſomnum carpere Miltiadis.
Cui laus, ad laudis, ſtimulos non addit, amorem:
Hic nullo laudis nomine dignus erit.
Cui cœli, in vita hac non eſt habitatio curæ:
Pòſt obitum flagrans, huic domus, Orcus erit.
Ergò buſtorum quùm proſit lectio tantum,
Et vitæ, & mortis, commoneatq́ tuæ,
Doctior & poſsis hinc reddi, Candide lector:
Non liber ingratus debet hic eſſe tibi.

165
Digitized by Google

Lectori S.

Hæc omnis generis tibi quid monumenta loquuntur?
Quid te tot tumuli, buſta, rogique docent?
Ne nimis iſta tibi facies arrideat orbis:
Quæ ſpecies mundi, qui decor, omnis abit.

Heinr. Fabric. Tabern.

1. Corinth. 7.

Παράγει τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου τούτου.

Ad Auctorem.

CANDIDE PANTALEON mores narrare ſepultûm
Quid juvat? Officio ſunt ea digna Tuo.
Sic etenim Virtus creſcit laudata: graviq;
Caſtigata notâ ſic fugimus Vitia.
Hæc Tibi cauſa fuit, quâ non eſt juſtior ulla:
Hæc eſt Faſtorum finis amata bonis.

Georg. Keſsler. Bipont.

EPITA-

Digitized by Google

EPITAPHIORVM
LIBER I.
HOMINVM IN S. BIBLIIS celebratorum.

Manibus Beatis.

FOElices animæ, quæ iam in cæleſtibus oris,
Inter & electos, Angelicoſq; Choros,
Humanas extrà curas, extráque laborem,
In ſolo capitis gaudia læta DEO:
Hanc partâ vobis gratamur pace quietem,
Inq; Abrahæ dulci mollia fata ſinu.
Non purgatrici fornacis in igne calentis,
Eſt opus, elato funere, Spiritibus,
Romulidæ vt perhibent, in Purgatoria Manes
Balnea, mundandos mittere qui ſatagunt:
Vt penitus cunctas exurent vndique labes,
Cum quibus ad cælum ſit rediÿſſe nefas.
Omnia nam CHRISTVS *purgauit crimina noſtra,*
Cunctorum ſcelerum miſſio ſitq; Fide.
Latro fuit ſcelerum grauium reus in cruce: facta eſt
In cruce cuî ſcelerum gratia, latro fuit,
Vna fides cæli ſuſtollit ad aſtra fideles:
Deÿcit inferna ad Tartara, nulla fides.
Languida quæq; fides licet eſt: tamen illa fides eſt,
Eſt incredulitas, illî, vbi nulla fides.
Non minus eſt homo paruus homo, non eſt minus infans
Paruus, homo: quàm qui corpore magnus homo eſt.

Digitized by Google

Igne fauilla micat, licet haud ſit maximus ignis,
Eſt aqua, gutta, licet non ſit abyſſus aquæ,
Gutta cadit ſub aquam, cadit ipſa fauilla ſub ignem
Conſortes fidei, quiſq; fidelis adit.
Damnantur quicunq; fide caruère, fides ſit
Quantulacunq;, fides ſit modò vera, beat.
Vos igitur, vos, in Domino, qui fata ſubiſtis:
Vos nunc in Domino vita beata manet.
Vos mortalis adhuc induti corporis artus,
Iudicij & motus non caruiſtis ope:
Iam motus vobis preſtò, & ſapientia maior,
Quùm graue membrorum depoſuiſtis onus.
Vos ſincera, DEI *in vobis lucentis imago,*
Fulgetis magni dotibus Archetypi,
Adſpicitisq; DEVM *coràm iam in lumine claro,*
Nec vos iam labes amplius vlla notat.
Innumeri adſtatis cætus in veſtibus albis,
Supremi rerum præſidis antè thronum.
Nam vos deliciæ dulces, vos dulcia cunctis
Planctibus exemtos gaudia ſemper habent.
Vos manibus palmas virides, oleasq; gerentes
Viciſtis valida triſtia quæq; fide.
Vos dulces hymnos Domino, laudemq; ſonorum,
Vos Halleluia conciuitisq; DEO.
Vos pro conſeruis facitis vota inclita veſtris,
Quos mundus, mundi perſequiturq; furor.
Vos hic corporeis quondam benè viribus vſa,
Gaudia nunc ipſum ducitis antè DEVM.
Non meritis proprijs tamen has veniſtis in oras,
Quamuis & laudem quo meruiſtis, erat:
Sed fauor hoc vobis, & ſummi gratia CHRISTI,
Illius & mortis paſſio dura dedit.
Ille ſtolas veſtras proprio cum ſanguine lauit:

Crimina

Crimina deleuit ille cruore ſuo.
Nam qui fidenti comprendit pectore CHRISTVM,
Dùm mortalis in hoc corpore vita manet:
Hic habet æternam poſt vltima funera vitam,
In manibus ſummi viuit & ille DEI.
Veſtra cubant tacitis emortua membra ſepulcris,
Circuit & paruos magnus honos tumulos.
Nec prius ex illis membra illa excita reſurgent,
Aut poterunt grata lucis honore frui:
Quàm tuba terribilem ſonitum dabit, æthere ab alto
Quùm medio Iudex aëre CHRISTVS *erit.*
Cernere tunc vacuas ſua corpora reddere tumbas,
Qua Sol exoritur, quaq; recumbit, erit.
Siue quis horrendis amiſit in ignibus artus,
Siue quis in tumidis membra reliquit aquis:
Omnia virtute extabunt reuocata potenti,
Quando ſuo vocem CHRISTVS *ab ore dabit:*
Surgite mortales ab humo, iam ſurgite ad auras,
Quæ vos cunq; domus, quæ loca cunq; tenent.
Corpora tunc animis reddet ſua vera quibusq;,
Totus vt ex mente & corpore conſtet homo.
Ibitis ad ſummi cum corpore læta Parentis
Gaudia, quîs viuis gaudia CHRISTVS *erat.*
Tunc erit & vita, & perfectior ipſa voluptas,
Quæ vos, quæ demto, corpora, fine manet.
Contrà, qui CHRISTVM *viui ſpreuère, ſubibunt*
Illi, Acherontæos carne animoq; lacus:
Supplicia æternùm heîc miſeri patientur & ignes,
Quîs nec temperies, nec modus vllus erit.
At vos ſanctæ animæ, vobis nil tale timendum,
Quîs fuit in vita viuere cura DEO.
Plena repurgato nam corpore gaudia vobis,
Sunt in ſupremo, ſorsq; parata, polo.

Interea

170
Digitized by Google

Intereà veſtris cupidi reuerenter ad vrnas,
Quod facere extremum poſſumus officium,
Spargemus molles violas, floresq́ue, roſasq́ue:
Vltimus hic vobis perſoluëtur honos.

Adami primi hominis, qui obijt Anno Mundi 930. Hieroſolymis.

HAc ego primus homo, de nomine dictus Adamus,
Poſt obitum egeſta ſum tumulatus humo.
Cùm DEVS *ex nihilo, Verbo mediante creaſſet*
Quaeq́ue ſolo conſtant corpora, quaeq́ue polo:
Me ſimul humana, ruffa è tellure, figura
Condidit, os, oculos, membra caputq́ue dedit,
In me perfecta Archetypi fulgebat imago,
Omnis iuſtitiæ, ac omnis iudicij:
Hanc niſi fallacis vafra quòd fraude colubri,
Amiſi, heu, lapſu turpiter ipſe meo.
Addidit huic culpæ magnam quoq́ue fœmina cauſam,
Ipſa meo facta è corpore corpus Eua.
Vnde auerſa DEO *mens, unde auerſa voluntas:*
Vnde repentinæ mortis aperta via eſt.
At facilis iactura mei foret unius: omne
Si non humanum tangeret illa genus.
Quicquid at eſt, inuenta graui eſt medicina dolori:
Vnde ſalus alijs contigit, unde mihi.
Fœmineo nobis venturum è ſemine ſemen,
Promiſit lætis vocibus ipſe DEVS:
Quodq́ue caput Satanæ obtereret, vitaq́ue referret,
Morte ſua CHRISTVS *munera vera, nova.*
Sic ego, ſic Eua afflictæ ſolatia menti
Senſimus, accenſa eſt firmaq́ue corde fides,

Hacq́ue

Digitized by Google

Hacq́ fide CHRISTI, *quod erat traduximus auum:*
Hancq́ docebamus pignora cara fidem.
Cepta coli tellus, me principe, cepta parari
Frugibus è natis prima alimenta ſolo.
Primus in excelſi inquiſiui ſidera cæli,
Quos habeant curſus æthere, quasq́ vices.
Primus & inueni doctas mortalibus artes,
Quis hominum nunquam vita carere poteſt.
De me, deq́ mea, cuncti conſorte creati
Sunt homines: totus quotquot hic orbis habet.
Filius vt fratrem leto contradidit, eheu,
Aſpexi his oculis, ah miſer, ipſe meis.
Nongentos poſtquàm ac triginta vixeram in annos,
Paulatim vires deficerentq́ mihi,
Autor inhalabat membris quam primitus, auram,
Rurſus ad autorem tranſijt aura DEVM:
Olim quo CHRISTVS *perpeſſa morte iacebit,*
Hac mea in hoc volui membra iacere, loco.
Vt viua, in vitam quando de morte reſurget:
Ipſe eadem ſecum CHRISTVS *ad aſtra ferat.*

Pantal. Candid.

Enochi.

Eſſe putas buſtum, ſaxum hoc? Non: ſed monumentum eſt
Henochi, referens nomina ſancta patris.
Illius haud etenim in terris eſt corpus humatum,
In cœlo haud expers corporis eſt anima.
Tàm ſanctè in terris membris eſt vſus: vt illa
Iuncta animæ ad cælum vexerit ipſe DEVS.
Significans, aliam reſtare à funere vitam,
Ac animas iterum membra habitura ſuas.

Pantal. Candid.

Mathuſalemi, obijt Anno Mundi 1656.
ætatis 969.

QVo nemo in terris traduxit longius æuum,
Conditus hac ego ſum Mathuſalemus humo.
Pene decem in viuis durando ſecula vici
Annos, ter demas ſi tamen inde decem.
Ipſo diluuij diſceſſi mortuus anno,
Me viuo nequijt obruere vnda malos.

Pantal. Candid.

Nohæ, obijt Anno Mundi 2006.
ætatis 950.

HIc ego Nohapater poſt irrequieta quieſco
Tot fata, & vita dira pericla mea,
Diluuio mundum vidi perijſſe priorem,
Et mundum peperi conditor ipſe nouum:
Tres nati, totidemq́, nurus, ego, fidaq́, coniux,
In terra fuimus tunc hominum omne genus.
Nos Pater omnipotens fluida ſeruauit in Arca,
Cætera cùm magnis turba periret aquis.
Antè DEVM *nam quùm ſcelerate duceret æuum,*
Exitio mundum tradidit ipſe DEVS.
Nec mea, proh, duris caruit domus ipſa querelis,
Degener ex noſtris filius vnus erat.
Autor ego dulcem vini reperi ipſe liquorem:
Intulit autori vim liquor ille ſuo.
Creſcite nati, & tu gaude Semeia proles,
Ex te Meſſias exoriturus erit.

Pantal. Candid.

Abraha-

Digitized by Google

Abrahami Patriarchæ, obijt An. Mun. 2123. ætatis 175. in Mambre.

IN Meſopotamijs degebam finibus Abras,
Culta fuit ſacris lux Orimaſda meis:
Me DEVS *omnipotens terris diſcedere ab illis,*
Et Canaa fines iuſsit adire ſoli.
Continuò monitis parens, Dominoq́ vocante,
Deſerui patriam deſeruiq́ meos:
Me pater eſt Thare fraterq́ ſecutus, & vxor,
Iuncta fuit ſterili quæ mihi Sara, toro.
Sarai, dixit DEVS *hinc tua Sara vocetur,*
Antè Abras fueras, pòſt Abrahamus eris.
Spondebat Gnatum Dominus, quem præbuit idem,
Ex quo Meſsiæ ſtirpis origo foret:
Qui meritis omnes poſsit benedicere gentes,
E morte ad ſuperos & reuocare, ſuis.
His adhibens verbis firmam fiduciam, in illa,
Me Domino, ſaluus, iuſtificante, fui.
Hinc ego credentum genitor ſum dictus, & autor,
Si mecum viuant conditione pari.
Et moriens fixa venturo in Semine mente,
In cœli vitam ſede ſuperſtes ago:
Quiq́ mea fidei conſortes lumina claudunt,
Hos vehet in gremium cœlica turba meum.
Hanc precio terram pro meq́ meisq́ paraui,
Oſſa ſub hac Sara ſunt tumulata mea.
Huc etiam iuſsi à vita mea membra recondi,
Separet à prauis nos locus atq́ fides.

Pantal. Candid.

Iſaaci Patriarchæ, obijt Anno Mundi 2228.

ætat. 180. in Mambre.

EX ſterili, fato, natus genitrice ſub auras,
Meſſia inſignis ſpes & imago DEI,
Me pater Abramus Moriæ ſub montibus altis,
Imperio voluit ſacrificare DEI.
Cara mihi geminos dedit ipſa Rebecca puellos,
Ex quibus Eſaus hic, ille Iacobus erat:
Ex quibus electus fuit hic, fuit ille relictus,
Ex aluo quamuis prodijt ille prior.
Per varios caſus, varia & diſcrimina rerum,
Tranſegi vitæ tempora dura meæ.
Quo pater & genitrix poſt fata ſuprema teguntur,
Iſacus hoc etiam contegor in tumulo.

Pantal. Candid.

Iacobi Patriarchæ.

in Mambre.

QVem DEVS *innumeris exercuit vndiq; fatis,*
A pueris ſummi ad caniciem ſenij,
Hoc mea Iacobus poſt vltima fata ſepulchro
Iſacides natis oſſa locanda dedi.
Præripui primo genituræ munera fratri,
Auſpicio matris conſilioq; meæ.
Illius hinc odio terram Bathuelis adiui
Atq; greges paui, care Labane, tuos.
Qui mihi mercedis ne fruſtra ſeruolus eſſem
In fœdus natas connubiale duas
Iunxiſti, mihi quæ lecti duodena dederunt
Pignora, de noſtro ſtemmate progeniem.
Hæc totidem poſt me Patriarchas nomine dicent
Quòd baſis, electi, ſint generiſq; patres.

Si nume-

Si numeres ſtellas cæli, numerabis & horum
Progeniem, ſumma hæc gloria ſtirpis erit.
In patriam rediturus eram vi Numinis actus,
Heu quibus occurri tunc miſer ipſe malis?
Me ſocer inuaſit turmis: cùm milite frater
Eſauus voluit nos iugulare ſuo.
Ipſe metu trepidans DOMINVM *magno ore vocaui:*
Cum DOMINO *mihi quàm lucta ibi dura fuit?*
Vici tunc aliud nomenq́; reporto, Iacobus
Antè, ſed Iſraël poſtmodo, dictus eram.
Placatum vidi fratrem, Canaaq́; ſubiui
Limina cum gregibus pignoribusq́; meis.
Heu mihi ſed quantum natusq́; & nata dolorem
Turpibus admiſſis, heu, peperêre ſuis?
Cara puerperij languore Rahelis obiuit
Beniamium puerum: ſed tamen antè dedit.
Lugebam natum, vt rebar, malè obiſſe Ioſephum,
Ante alios ſoboles cara Ioſephus erat.
Compertum eſt Pharijs illum regnare ſub oris,
Inualuit toto triſtis in orbe fames:
Illûc cum natis & cum natabus adiui,
Solamen ſenio res fuit illa meo:
Ac ibi bisſeptem poſt annos funere ſancto
Oppetij in vera fata ſuprema fide.
Hûc poſtliminio monumenta ad auita relatus,
Expecto quo me tempore, CHRISTE, *voces,*
Et tecum æthereas cum corpore ducar ad arces:
Siue vbi deuicta morte reſurgis humo:
Siue ad iudicium, cùm mundi in fine redibis:
Sic fuit in CHRISTO, *mors mihi grata, mori.*

Pantal. Candid.

173
Digitized by Google

Aaronis. in Deſerto.

SVmmus in hac ſitus eſt Aaron tellure Sacerdos,
Placatus populo eſt, quo mediante DEVS.
Sacra celebratas holocauſta cremauit ad aras,
Fecit & æterno vota precesq́; DEO.
Et quid quisq́; ſuo ſignaret imagine ritus,
Monſtrauit verbis explicuitq́; ſuis.
Ille Sacerdotis ſuprema in ſecula CHRISTI
Eximium ſancto geſſit honore typum.
Quæ ſacra prodibis ſoboles Antiſtitis huius,
Officij diſcas munus obire tui.

Pantal. Candid.

Moſis.

OB meritum, nomenq́; tuum, celeberrime Moſes,
Nos populi Iſraelis concio tota tui,
Pontificale tibi cuperemus ponere buſtum,
Inq́; illo titulos ſcribere magnificos:
Si modò conſtaret, qua ſint in parte locata
Corporis exuuiæ relliquiæq́; tui.
Nam Dominus, ſed vbi, haud notum eſt mortalibus vllis,
Te manibus terra condidit ipſe ſuis:
Nil tibi opus tumba eſt, pro corpore Biblia tota
Optima virtutis ſunt monumenta tuæ.

Pantal. Candid.

Bileami Syri.

HAc Bileamus ego Syrus, natusq́; Beoris,
Myſta pius iaceo contumulatus humo:
Vt diras genti Hebrææ, cladem q́; precarer
Moabo accitus rege iubente fui:
Pro diris fauſta & bona quæq́; aurita precari
Me docet humana voce locuta, pecus.

Vox

Digitized by Google

Vox mea venturum Meſſiam nunciat Orbi,
Et populis caſum pluribus edo ſuum.
Turpiter hoc nimium, nimiumq́ procaciter egi:
Conſilium regi triſte latensq́ dedi.
A Moabitis gens inuitata Iacobi,
Idolis facta eſt ſpurcicieq́ rea.
Aſt ego dùm populi ferior iaceoq́ tumultu,
Ipſe tuli ſceleris præmia digna mei.

Pantal. Candid.

Gideonis Ducis Iſraëlis.

CVltor agri Gideon populo præfectus Iudæ,
Auſpicio Domini præueniente, fui
Dictus Ierubaal, vaſtata ex æde Baalis,
Quem coluit genitor per ſua tecta, meus.
Tercentum eduxi iuuenes, quo milite fudi
Ex Midianitis millia multa viris.
Quin etiam miro vici ſtrategemate eosdem,
Fictilis occultas obtegit olla faces:
Quas manus vna gerit, raucum manus altera cornu,
His armis hoſtes aggredimurq́ feros.
Frangitur olla, facesq́ micant, ſonitusq́ tubarum
Perſtrepit, his ſubitò territus hoſtis abit:
Et rapidum in ſeſe & ſua vertit viſcera ferrum,
Centum & triginta millia ſicq́ cadunt.
Sebus & Orebus, Zeba & Salmana, ducesq́
Illorum, noſtra cæſi obiere manu.
Abſtinui regis clarum mihi ſumere nomen,
Libertas genti ſtat vetus illa meæ.
Quùm quadraginta populus mihi paruit annos,
Fecêre exuuijs hæc monumenta meis.

Pantal. Candid.

Jephte,

Jephte, *Iudic. 12.*

EIecêre domus me inſidi è limine fratres,
Aggredior forti pectore Martis opus:
Me Gileadita legerunt denique ciues
In belli ſummum dira per arma, Ducem:
Patre ſatas vinco gentes Ammone rebelles,
Palmam præbenti nuncupo vota DEO,
Quod mactare velim ſacras reuerenter ad aras,
Quod primum occurrit me redeunte domum,
Occurrit bello cariſſima nata regreſſo,
Mactata eſt, eheu, filia cara mihi.
Lædere me volui potius, quàm lædere Diuos,
Non ſuperis fas eſt frangere velle fidem.
Quadraginta hominum, nec non duo millia fudi,
Gens hæc Ephraim perdita clade fuit.
Sic quod detraxit materna infamia laudis:
Addidit hoc belli gloria parta, mihi.

Pantal. Candid.

Hiobi, *Hiob. cap. 19. verſ. 25.*

VIuit adhuc: nec enim dubito, meus ille Redemtor,
Viuit, & ex putri me reuocabit humo.
Pelle mea rurſum circumdabor, vltima quùm lux
Ingruet, inq; mea carne videbo DEVM:
Quem mihi ſum viſurus ego: quem lumine claro
Ipſemet aſpiciam poſtmodò non alius.
Mors mea quùm non mors, ſed ſit reparatio vitæ:
Cur animo nolim cum patiente mori?

Pantal. Candid.

Aliud.

Aliud.

SCio, (tuis me territas quid vnguibus,
Et dente, Letum, lurido?)
Scio, meus quòd Liberator æthere
Viuit, die nouiſſimo
Telluris excitabit is me puluere:
Mea, DEVM, datus cute,
Circum videbo, lætus iſto lumine
Hærebo vultu Numinis,
Oculis meis, & non alius intuens
Noſtræ ſalutis vindicem.

Adam. Siberus.

Heli Sacerdotis.

DVx populi, ſanctusq; DEI in Siloë Sacerdos,
Hoc Heli poſui mortuo membra ſolo.
Indulſi nimium facientibus impia natis,
Sacra quibus curæ thura adolere fuit.
Non potui verbis hos emendare ſeuerus,
Et duris metui ſubdere verberibus,
Admonuit Vates, Samuel monuitq; Miniſter,
Et puer, & Vates viluit ille mihi.
Dira fames ſubijt, ſubijt lacrymabile bellum,
In quo mi nati diſperiêre duo.
Rumor vt hic triſtes ferijt mihi flebilis aures,
Eſt ceruix ſella fracta, ruente, mea.
Non procul à centum mea meſſibus abfuit ætas,
Et quater exegi munia ſacra decem.

Pantal. Candid.

Davidis Regis & Prophetæ.

Hieroſolymis.

HOc mea Dauidis ſunt oſſa recondita buſto,
Iſrælus regi paruit ora mihi.

Iſaio genitus patre ſum de ſtemmate Iudæ,
Abramides ſanctus quem generabat auus.
Ex humili puer in regem delectus ouili,
Suſcepi Saulis regia ſceptra loco.
Cura fui rerum Domino, celebriſq; futuri
Meſſiæ genitor ſanguine, more typus.
Quas merui, ſolui, pœnas, ſeruator & vltor
Affuit in cunctis mi DEVS *ipſe malis.*
AEdificare DEO *volui venerabile templum:*
Sed vetuit nimius fuſus ad arma cruor.
Tu Salomon facturus id es, cariſſime fili,
Sub te perpetua tempora pacis erunt.
Compoſui dulces hymnos, dulciſq; ſonoram
Ad vocem digitis eſt lyra pulſa meis.
Dum Dominus Dominum ipſe meum, venientibus annis,
Ad dextram iubeat ritè ſedere ſuam,
Ex leto reducem, deſtructoremq; barathri,
Luce coruſcantem corporis æthereâ.
Intereà hîc recubo, meus is me tunc quoq; ſecum,
Transferet ad cælos inclitus ille nepos.
Quod ſupereſt, mea gens, animo ſpes concipe latas,
Ac aliquam facili pectore ferto moram:
Quos cecini dulces, recinas, age, tu quoq; Pſalmos:
Quæ feci, facias, tu quoq; vota DEO.

Pantal. Candid.

Salomonis regis.

Hieroſolymis.

HOc opus hac ingens operoſæ gloria molis,
Buſtum magnifici ſe probat eſſe viri.
Quo non ſplendidior, non ditior extitit alter,
Solis in Heſperijs occiduiſq; plagis,
Conditus hic Salomon rex eſt, rex inclitus ille,

Præfuit

Præfuit imperio qui tibi Iuda ſuo.
Cuius doctrina, & gnara ſapientia mentis,
Non habuit toto mundus in orbe parem.
Quod Dominus voluit fieri ſibi nobile templum
Extructum Salomon, cernis vt ipſe, dedit.
Ingens, auguſtum & latè memorabile templum,
Cui nullum ſimile magnus hîc orbis habet.
Quæ fuit in terris Regina decora Sabæis,
Egregij pollens dotibus ingenij:
Hunc adijt, magnam illius quo cerneret aulam,
Audiret tanti verbaq́; docta viri.
Turba puellarum deceperat Ethnica regem,
Quorum atheis ſtruxit fana profana DEIS:
Reſipuit tamen, & Meſſiæ in amore quieſcens,
Terrenas liquit cæli & adiuit opes.

Pantal. Candid.

Roboami Regis Iudæ.

TOt Salomonis opum, tam regni diuitis hæres,
Hoc ingens buſtum rex Roboamus habet.
Rex potuit felix & præſtantiſsimus eſſe,
Illius & regni fine carere decus:
Ni rigidus nimis in ciues durusq́; fuiſſet,
Impoſitum ac illis ni duplicaſſet onus,
Spreuiſſetq́; ſenum conſulta ſalubria, ſtultè
Amplexus iuuenum friuola dicta virûm.
Ieroboam ſubitis regnum ſibi vendicat armis,
Hunc populi ſequitur maxima turba Ducem.
Inq́; duas regnum ſic ſciſſum eſt nobile partes,
Illa tribus geminas ſubdidit, illa decem.
Ne premite ò nimio ſubiectos pondere reges,
Imperijs duris ardua regna labant.

Pantal. Candid.

Aſæ regis Iudæ.

ASa DEI *ſanctos qui reſtaurauit honores,*
Suſtulit & matris impia ſacra ſuæ:
Millia qui ſtrauit regis centena Canopi,
Fregit & Iſrælis milite gentis opes:
Hoc poni voluit, ſua mortua membra ſepulchro:
Hanc noxam plorans ſæpè, diuq́; ſuam:
Fœdera quòd temerè externis cum regibus icit,
Quòd medici auxilium præpoſuitq́; DEO.
Cùm quadraginta ac vnum regnaſſet in annos,
Fata in Meſſiæ finijt acta fide.

Pantal. Candid.

Ezechiæ vltimi regis Iudæ.

Babylonij.

EN Babylon procul hic noſtrum tenet Ethnica buſtum.
In Solyma poni debuit vrbe mihi,
Addi debuerant emblemata florida circum
Et tituli nomen magnificare meum:
Nunc fœdas inter gentes, inglorius, exul,
Sum generi labes, & macula atra meo.
At miſer hoc merui, patrijs mihi nuper in oris,
Fracta fides hoſti eſt, fracta fidesq́; DEO.
Comprenſusq́; fuga, & vinclis conſtrictus in arctis
Cum vita amiſi lumina clara mea.
Diſcite iuſtitiam nec fallere fœdera Reges,
Periuros iuſti vindicat ira DEI.

Pantal. Candid.

Ieſu

Ieſu Chriſti Dei & hominis, Epitaphium Sepulcri triduani. Ieroſolymis.

HOc tumulo poſitum corpus requieſcit IESV,
Quem dedit infandæ ſæuus Apella neci.
Spiritus in Patris eſt manibus ſacer illius, illic
Gaudia deſerto corpore læta capit.
Illius at Deitas, quæ replet cuncta, nec ipſum
Corpus, nec potis eſt deſeruiſſe animam.
Mortuus ecce DEVS *iacet hic, non mortuus idem*
Terna iterum vacuam luce relinquet humum.
Crimina noſtra tuo ſunt contumulata ſepulchro:
Viuimus in vita nos quoq; CHRISTE *tua.*

Pantal. Candid.

EPINIKION eiuſdem.

IAmque triumphe, io, iam iubila læta canamus,
E diro in lucem funere CHRISTVS *ijt:*
Sub pedibus mors victa iacet, ſpoliatur & Orcus,
Ad vitam felix rurſus aperta via eſt.
Mors tua, mors ſcelerum, tua ſit victoria nobis,
CHRISTE *caput vitæ iuſtitiæq; nouæ.*

Pantal. Candid.

Ieſu Chriſti Salvatoris, qui obijt & reſurrexit, Anno Mund. 3962.

SIſte pedem rapidum, ne tàm properato viator,
Cuius vt hæc diſcas ſint monumenta viri?
Hoc fuerat Dominus ſaxo contectus IESVS,
At nunc hæc eadem vana ſepulcra vides.
Namq; reſurrexit quùm ter Sol aureus orbi,
A nece reddiderat luce intente diem.
AEthereasq; potens aſcendit victor ad arces,
Aſſidet & dextra proximus ille Patris.

Quid faciat quæris? noſtras audire paratus
Eſt lacrymas, queſtus, carmina, vota, preces.
Inde reuertetur iuſtus ſuper omnia iudex,
Iudicet vtq; bonos, iudicet vtq; malos.
Poſtq; hanc diſtribuat iuſtiſſima præmia vitam,
Cælica regna bonis tartara cæca malis.
Ergò tuam vitam ſic dirige ſemper: vt ille
Te poſſit veniens annumerare pijs.

Frideric. Dedekindus.

Stephani Protomartyris.

DIſpenſare ſtipem miſeris mandabar egenis,
Confiteor Chriſti ſed tamen ipſe fidem:
Iudicio ſiſtor, mox condemnatus iniquè,
Intereo lapidum pulſus ab imbre caput.
Eſt mihi qui cælo CHRISTVS *conſpectus ab alto,*
Me bonus in gremio nunc fouet ille ſuo.
Primus ego CHRISTI *fuſo ſum ſanguine Martyr:*
Impoſita eſt capiti prima corona meo.
Vos eritis quotquot CHRISTO *qui Martyres olim,*
Intrepidam forti pectore ferte necem.

Pantal. Candid.

Epulonis, *Luc. 16. verſ. 19.*

IMpius eſt epulo, dùm viuit, & odit egenos,
Inter & indignas luxuriatur opes.
Mortuus accenſi flammis torquetur Auerni,
Nec lingua guttam quò recreetur habet.
Cyclopes noſtri & Bacchi, crudiq; Thyeſtæ,
Quas Stygio pœnas in Phlegetonte dabunt?

Pantal. Candid.

Laza-

Lazari, *Luc. 16. verſ. 19.*

LAzarus hoc poſui mea ſqualida membra ſepulchro,
Spiritus in gremio viuit, Abrame, tuo.
Pauper in ærumnis ſum mortuus, atqui ego non ſum
Mortuus, eſt mea ſed mortua pauperies.

Pantal. Candid.

Petri Apoſtoli.

SQuammigeræ qui gentis eram piſcator ad vndas,
Piſcatorem hominum me Deus eſſe iubet.
Illius audiui voces, & grandia vidi
Facta, fuit verbis materia illa meis.
Cætera ſuſtinui placidè: ſed proh dolor vna
Cura habuit mentem ſemper acerba meam.
Scis etenim, nec me pudeat commiſſa fateri,
Verterit heu noſtram mollis vt Aula fidem.
Fata mihi furca, CHRISTO *fuit exitus idem,*
Felix ſi Domino commoriare tuo.
Ipſe gregem paui CHRISTO *mandante: Miniſter*
Ritè gregem paſcat quilibet ipſe ſuam

Pantal. Candid.

Pauli Apoſtoli.

Romæ.

PAulus ego celebris Phariſææ gentis alumnus,
Cedebam famulos vndiq;, CHRISTE *tuos.*
Poſt mihi qui vultu cælo conſpectus ab alto,
Vertebas animos ad meliora meos.
Moxq; tuli populos præco tua iuſſa per omnes,
Husq; dedi nomen noſſe & obire tuum.
Dicta refutaui cæleſtibus impia verbis,
Seu tua gentilis ſeu Phariſæe tua.

Digitized by Google

Multaq́, quùm CHRISTI *fueram pro nomine paſſus,*
Roma caput ſcapulis abſtulit alta meis.
Verba DEI, *moresq́, pios pius ipſe docebam,*
Doctores, exemplum ritè ſequare meum.

Pantal. Candid.

Andreæ Apoſtoli.

ANdreæ *celebres audiuit Achaia voces,*
De CHRISTO *patulis quas dedit ille ſonis:*
Impia deſtruxit varias idola per aras
Mœnia quâ nitidis culta fuêre Patris:
Præſidis uxorem docuit pia dogmata CHRISTI,
Præſes at iſtorum feruidus oſor erat.
Hic crucis inuerſo ad caua robora corpore fixus,
Andreas lentam pertulit ipſe necem.

Pantal. Candid.

Iohannis Euangeliſtæ ex Nicephoro.

SE *viuum ſepelit, Domino mandante Iohannes,*
Quùm finem vitæ nouit adeſſe ſuæ.
Poſt illo voluit quæri ſua membra ſepulcro,
Nulla ſed in tumulo membra fuêre ſuo.
Hoc fuit, hoc olim CHRISTVS *quod protulit, illum*
Iuſſerat aduentum quando manere ſuum:
Scilicet hæc cauſa eſt, ſanctas quod nullibi ſancti
Illius eſt vllas cernere relliquias.

Pantal. Candid.

FINIS LIBRI PRIMI.

EPITA-

Digitized by Google

EPITAPHIORVM
LIBER II.
REGVM ET ILLVSTRIVM Virorum.

Nini Aſſyriorum regis, Anno Mundi 1910. reg. 52.

A Semiramide columnæ inciſum.

Mihi pater Iupiter Belus, auus Saturnus Babylonicus, proauus Cus Saturnus Æthiops, abauus Saturnus Ægyptius *(i. Cham.)* atauus Cælus Phænix Ogyges *(i. Noah)* ab Ogyge ad meum auum Sol orbem ſuum circumluſtrauit ſemel ac tricies & centies, ab auo ad patrem ſexies & centies, ab auo ad patrem ſexies & quinquagies, à patre ad me bis & ſexagies.

Columnam, templum, ſtatuam Ioui Belo ſocero & matri Rheæ in hoc olympo, Semiramis dicaui.

Xenophon de æquiuocis.

Iſidis Iunonis Ægyptiæ, Anno Mundi 1960.

Ego ſum Iſis Ægypti regina, à Mercurio erudita, quæ ego legibus ſtatui, nullus ſoluet. Ego ſum vxor Oſiridis. Ego ſum prima frugum inventrix. Ego ſum Ori regis mater. Ego ſum in aſtro canis refulgens. Mihi Bubaſtia vrbs condita eſt. gaude, gaude Ægypte, quæ me nutriſti.

Diodor. Sicul. lib. 1.

Digitized by Google

Sardanapali.

H*AEc habui, quæ edi, quæq́; exaturata libido*
Hauſit: at illa iacent multa & præclara relicta.

Anonym.

Senacheribi Aſſyrij.

Statua eius poſita eſt in Niniue cum hac inſcri-
ptione.

Eἰς ἐμέ τις ὁρέων ἐυσεϐὴς ἔσω.
In me intuens diſcas honeſtè viuere.

Herod. lib. 2.

Phaetontis.

H*Ic ſitus eſt Phaëton, currus auriga paterni,*
Quem ſi non tenuit, magnis tamen excidit auſis.

Ouid. Met. lib. 2.

Pallantis Evandri F. à Turno occiſi.

F*Ilius Euandri Pallas, quem lancea Turni*
Militis occidit, more ſua iacet hic.

Romæ erutum.

Antenoris.

Patauij.

I*Nclitus Antenor, patriam vox niſa quietem,*
Tranſtulit hûc Enetum Dardanidumq́; fugas,
Expulit Euganeos Patauinam condidit vrbem.
Quem tenet hic humili marmore cæſa domus.

Ex monument.

De Ro-

Digitized by Google

De Romulo conditore vrbis Romæ in cælum translato.

FOrtiſſimorum Principem Quiritium,
Vrbiſq́ glorioſæ, & orbis arbitræ,
Quæ ſtrauit omnes nationes barbaras
Quas Phœbus vndequaq́ luſtrat, adſpice
Genus Deorum, conditorem Romulum:
Tantum vnus omnes vicit ille Principes
Virtute mentis, corporiſq́ robore,
Quantum triumphis prælijſq́ fortibus.
Ne quære buſtum bellicoſi Numinis
Romane, ſedes nanq́ viuo contigit
Cælum, micat ſtellis vbi fælicibus,
Receptus inter cælites lætiſſimos.
Vti decebat Principem Quiritium

Ianus Vitalis Panhormita.

Fabiorum qui idib. Febr. occid. An. Mundi 3489.

HAEc fuit illa dies, in qua Veientibus aruis
Ter centum Fabij ter cecidêre duo.

Ouid. faſt. 2.

Thraſibuli Athenienſ.

Θρασύβουλος μὲν τοι μᾶλα δοκῶν ἀνὴρ ἀγαθὸς εἶναι, οὕτως ἐτελεύτησεν.

Xenoph. lib. 4.

In Annibalis tumulum.

ANnibal hûc victas ſecum Carthaginis arces
Tranſtulit: hac ambos terra Libyſſa tegit.

Iacob Sannazar.

Philippi reg. Macedon. poſt victos Athen. & Theban. ad Cheroneam.

Κλαίει ὁ νικηθεὶς, ϗ ὁ νικήσας ἀπόλωλε.

Spartanorum ad Leuctram.

Euctra mihi ſunt curæ, & mors triſtiſſima, gnatæ
Occiſæ Schedaſi quæ periere duæ.
Hic atrox fiet pugna, & ſæuiſſima cædes,
Fatalis quando venerit illa dies.
Quamprius haud quiſquam norit, quàm Dorica pubes,
Amittet robur militiaq; Duces.

Phil. Melan. ex Pauſan.

Arati Sicionij.

Venit ad Herculeas quanquàm tua fama columnas,
Dùm patriam ſeruas, inclite Arate, tuam:
Nos tamen hanc ſtatuam pro libertate recepta
Virtutis teſtem fecimus eſſe tuæ.
Communis tibi cum Dîs Seruatoribus eſto
Hic honor: in patriam nam pia iura refers.

Phil. Mel.

Hipparchi Athenienſ.

Μνῆμα τόδ᾽ ἱππάρχου· στεῖχε δίκαια φρονῶν.

Item.

Μνῆμα τόδ᾽ ἱππάρχου· μὴ φίλον ἐξαπάτα. Plato.

Lacedemonij in Thermopylis occiderunt in quo Simonides.

Dic hoſpes Spartæ nos te hic vidiſſe iacentes,
Dùm ſanctis patriæ legibus obſequimur.

MIATIA-

ΜΙΛΤΙΑΔΗϹ.

ΠΑΝΤΕϹ ΜΙΛΤΙΑΔΗ ΤΑΑΡΗΙΑ ΕΡΓΑ ΙϹΑϹΙΝ:
ΠΕΡϹΑΙ ΚΑΙ ΜΑΡΑΘΩΝ ΤΗϹ ΑΡΕΤΗϹΤΕ ΜΕΝΟϹ.

Qui Perſas bello vicit Marathonis in aruis
Ciuibus ingratis & patria interijt.

Romæ in monte Celio. Stephan. Pigius. Antiquit. fol. 65.

CATONIS TVMVLVS.

Hic vbi libertas, magni & iacet vmbra Catonis,
Quàm melius poterant Cæſaris oſſa tegi?

Iac. Sannazar.

Gloriæ Titi Flaminij in templo Delphico.

Tyndaridæ fratres quorum fuit inclita virtus,
Cuſtodes inter quos modo Sparta colit.
Leges, libertas & pax, ſunt optima dona:
Hæc Græca genti dat Titus AEneades.

Craſſi in Clade Parthica.

Craſſus ad Euphraten aquilas, natumq́; ſuosq́;
Perdidit, & leto eſt vltimus ipſe datus.

Ouid. Triſt.

Patauij.

Paulus Æmilius Imp. N. Macedoniam terrarũ imperio potitam cœpit, cuius vno die LXXII vrbes vendidit, & jam Indiæ victor per veſtigia Liberi patris atq; Herculis Romana ſigna circumtulit.

Antiquit. Appiani.

Digitized by Google

M. T. CICERONIS.

in Zacyntho inuentum,

M. TVLLI CICERO
HAVE
ET. TV
TERTIA
ANTONIA.

Ex monumentis.

OCT. AVGVSTI.

IMp. Cæſari diui F. Auguſto pontif. Max. imp. XIIII. Trib. pot. XVIII. S. P. Q. R. quòd eius ductu auſpicijsq; gentes Alpinæ omnes, quæ à mari ſupero ad inferum pertinebant, ſub imperium Po. Ro. ſunt reductæ.

Ex lib. Antiq. Ge. Fabric.

Tiberij Imp. obijt Anno Chriſti xv. ætat. LXXIIX. regni XXIII.

Romæ.

HOc ego Tiberius poſitus ſum marmore, dictus
Conſperſum turpi triſte cruore lutum.

Pantal. Candid.

C. Caligulæ imp. Anno 38. reg. 4. ætat. 28.

Romæ.

NVmen adorari volui, ſtuprata ſoror mi,
Scripta Poëtarum mens abolere fuit.
Ipſe Senatores triſti qui morte peremi,
Hac iaceo triſti morte peremtus humo.

Pantal. Candid.

Claudij

Claudij Imp. Anno XLII. ætat. LXIV. reg. XIII.

Romæ.

CLaudius hiſtorias ſcripſi, preçioq́; redemi
Imperium, mortem dira venena dabant.

Pantal. Candid.

Domitij Neron. Imp. An. 57. reg. 14. æt. 31.

VXores, matrem, Petrum Paulumq́; peremi,
Chriſtiados miris diripuiq́; modis,
Vrget hians tellus, & ſpectra furentia terrent,
Quos necui, properant mî properare necem.
Territus his, ego me proprijs Nero conficio armis,
Fumet ab interitu terra polusq́; meo.

Pantal. Candid.

Fla. Veſpaſiani Imp. An. 70. reg. 10. æt. 69.

Romæ.

COmpoſuit turbas à cæde Neronis obortas
Hinc meriti laudem Veſpaſianus habet.
Vrbs Solymana ſuum tulit hoc ſub Cæſare finem.
Auſpicijs nati nam cadit illa Titi.

Pantal. Candid.

Titi Veſpaſiani Imp. An. 80. reg. 3. æt. 42.

Romæ.

DElicias hominum rapiens mors Veſpaſianum,
Triſtitias hominum fert generi eximias.

Pantal. Candid.

Domitiani Imp. An. 82. reg. 15. æt. 41.

Romæ.

CHriſtiadum maſtyx, deſes, ſceleratus & exlex,
Cæſus es uxoris, Domitiane, manu.

Pantal. Candid.

Neruæ

Nervæ Imp. Anno 97. reg. 2. ætat. 72.

Romæ.

CIuibus arua dedi, vana & ſpectacula Nerua
Abſtuli, eram tanti neruus & imperij.

Pantal. Candid.

Vlpiani Traiani Imp. Anno 99. reg. 29. ætat. 64.

Romæ.

VLpius Hiſpanis genitus Traianus in oris,
Cæſarea geſſi Romula ſceptra manu.
Iuſtitiæ vindex acer, cuſtosq́ librorum,
Aſſyriæ victor Decebaliq́ fui.
Poſt Agarenaos triſtiſſima bella mouentes,
Dum peto, mors telis me petit atra ſuis.
Structa mihi Romæ fuit alta columna ſub auras:
Iſta meos ſummo vertice habet cineres.

Pantal. Candid.

Ælij Adriani Imp. Anno 139. reg. 19. ætat. 64.

DIua Themis, Muſæq́ piæ mihi corde ſedebant
His decus & ſtudij tempora multa dedi:
Mæniaque obſedi longè Bethoridos alta,
Illic Ben Chochab eſt datus ipſe neci.
Quo poſt fata ferar, quibus vmbra vagabor in oris
Neſcius, inuitam nunc ego linquo animam.

Pantal. Candid.

Aliud.

Animula, vagula, blandula,
Hoſpes comesq́ corporis
Quæ nunc abibis in loca?

Pallidula,

Pallidula, rigidula, nudula,
Nec, vt ſoles, dabis iocos.

Adri. Imp.

Antonini Pij Imp. An. 138. reg. 14. æt. 76.

ANtoninus ego non vllis bella paraui:
Sed repuli quæ ſunt bella parata mihi.
Ciuem vnum volui potius ſeruare, proterua
Hoſtibus è cunctis quàm dare mille neci.

Pantal. Candid.

Antonini Philoſophi, An. 162. reg. 19. ætat. 60.

CAttos & Parthos fudi, forteſq́ Britannos,
Et Quadi ſignis terga dedêre meis,
Chriſtiadæ pluuias impetrauêre precantes,
In genus hoc hominum mitior ergò fui.
Præcipuè Vatum mihi erant ſtudia inclita curæ,
Inde pij nomen Principis ipſe tuli.

Pantal. Candid.

Commodi Imp. Anno 181. reg. 13. æt. 32.

ENecui multos, ſum poſt etiam ipſe necatus
Commodus, haud vlli commodus, hîc iaceo.

Pantal. Candid.

Seueri Imp. An. 194. reg. 18. ætat. 66.

Romæ.

PEſcenium vici, vici Albinumq́, volebant
Hi bello imperium præripuiſſe mihi.
Omnia quùm fuerim, retuli nihil inde, Seuerus
Vicinus morti dixit, & interijt.

Pantal. Candid.

E

Aliud.

Πάντα ἐγενόμην, καὶ οὐδὲν ἐμοὶ λυσιτελεῖ.
Omnia fui, & nihil mihi prodeſt.

Seuer. Imp.

Baſſiani Caracallæ Imp. An. 212. re. 7. æt. 29.

Turpis & inceſtus, ſæuusq́; Tyrannus & exlex,
Cæſus ab aſſeclis ſum Caracalla meis.

Pantal. Candid.

Varij Heliogabali Imp. An. 229. reg. 4. ætat. 18.

Obſcenè vixi, cœno reuolutus obiui,
In Tybrim abiectus ſumque Heliogabalus.

Pantal. Candid.

Alexandri Seueri Imp. An. 223. reg. 14. æt. 30.

Fumos vendentes fumo punire ſueui,
Vlpius eſt chlamide tectus & ipſe meæ.
Puniui in bello delicta admiſſa ſeuerè,
Inde mihi nomen tale, Seuerus, erat.
Inferri templis aurum, diteſq́; vetabam,
Victus & eſt forti milite Perſa mihi.
Poſt Moguntiaca dirè ſum cæſus in vrbe,
Hoc Vates Druidæ præcinuêre mihi.

Pantal. Candid.

Maximini Imp. An. 236. reg. 3. ætat. 65.

Thrax ego quadratus, celerum præcurſor equorum
Maxminus regni ſceptra verenda tuli.
Cædibus indulgens triſti ſum cæde peremtus.
Fortis enim Tygris eſt, & tamen opprimitur.

Pantal. Candid.

Aliud.

Digitized by Google

Aliud.

ELephas grandis eſt & occiditur:
Leo fortis eſt & occiditur:
Tygris fortis eſt & occiditur:
Caue multos, ſi ſingulos non times.

Mimus quidam.

Gordiani Imp. An. 229. reg. 6. æt. 22.

GOrdanus iuuenis Perſas ſuperauit, & ipſe
Heu miſer indigno vulnere cæſus obit.

Pantal. Candid.

Philippi Arabis Imp. An. 245. reg. 5.

INclita baptiſmi ſuſcepi ſacra Philippus,
Perdidi ob hoc vitam protinus ipſe meam.

Pantal. Candid.

Decij Imp. An. 250. reg. 2. æt. 50.

PErcuſſi Gotos, & ſum percuſſus ab illis.
Nam vitam putrida linquo palude meam.
Qui Decius decies afflixi Chriſtida gentem,
Manibus affligor nunc ego tartareis.

Pantal. Candid

Valeriani Imp. An. 254. re. 15. æt. 77.

HVmanum fudi, facio dum ſacra, cruorem,
Obieciq́; viris omnia dira pijs.
A Sapore & victus, tritus pede, tum cute caſſus:
Ad manes miſer (heu) Valerianus eo.

Pantal. Candid.

Galieni Imp.

HOs Galienus ego è multis ſum nactus honores:
Obſtitit aſt Franca Poſthumus ipſe manu.

Digitized by Google

Qui ſimul vt periјt, periј quoq; protinus ipſe,
Factaque multorum eſt tunc laniena Ducum.

Pantal. Candid.

Flauij Claudij Imp. An. 269. reg. 2.

DEleui Gotos in Theſſala regna ruentes,
Claudius: ex auro ſic clypeumq; tuli.

Pantal. Candid.

Valerij Aureliani Imp. An. 271. reg. 5.

DEleui Francos Marcomannum atq; Sueuum,
Mozi ad aquas illos: hos ſed in Italia.
Zenobiam vinxi, fortes repuliq; Bohemos:
Militia & ſtatui iura ſeuera mea.
Sic odium meritus ferali cæde peremtus,
Trudor ad infernas Aurelianus aquas.

Pantal. Candid.

Valerij Probi Imp. obijt An. 277. reg. 6. ætat. 76.

HIC PROBVS IMPERATOR VERE PROBVS SITVS EST. VICTOR OMNIVM GENTIVM BARBARARVM, VICTOR ETIAM TYRANNORVM.

Pop. Rom.

Aliud.

A Gallis Francos repuli, Proculumque peremi:
Atq; Alemannorum plurima ſigna tuli:
Victus & eſt diro ſuſpenſus fune Bonoſus:
Succubuit Gotus Sarmatiusq; mihi.
Miles me occidit, quod eum fodere arua coegi.
Sed data ſunt buſto talia ſcripta meo:
Hoc Probus ille, probus verè, qui barbara vicit
Arma, Ducesq; feros, eſt ſitus in tumulo.

Pantal. Candid.

Digitized by Google

Cari Imp. Anno 282. reg. II.

SArmatas & Perſas domui propè Tygridis amnem,
Abſumtis Carus viribus occubui.

Pantal. Candid.

Diocletiani Imp. An. 285. reg. 20. æt. 71.

DAlmata felici cum Marte Diocletianus
Carinum vici: nam meus hoſtis erat.
Conſortem ſceptris delegi Maxminianum:
Vt facerem, moles compulit imperij.
Iungimus hinc alios nobis: AEgyptia vici
Spicula ego: Gallos ille ſed agricolas.
Maxminus Perſas, Francos Conſtantius acres,
Collega, ingenti fudit vterque manu.
Mens mihi Chriſtiadas eſt tollere, millia quorum
Vno litaui plurima quoq; die.
Vltrices ſtimulos nequeo perferre, palamq;
Ipſe mihi diras infero ſponte manus.

Pantal. Candid.

Maximiani & Maxmini Impp.

MAxminus, tum Maxminianus vterq; Tyrannus:
Hic ferro: at diris vermibus ille perit.

Pantal. Candid.

Conſtantini M. Imp. An. 306. reg. 31. æt. 66.

VExauit Chriſti Maxentius ipſe fideles,
Et dedit illorum millia multa neci:
Ipſe ego Conſtantinus cum feralibus vndis
Immerſi: eſt medio crux mihi viſa polo,
Victricem ſpondens palmam, per ſæua Tyrannum
Maxminum vicit prælia Licinius.

15
Digitized by Google

Phtyriaſi perit ille, ſed hic quùm triſtia latè
Inferret placidis tormina Chriſtiadis:
Illum ego cæleſti confiſus Numine fudi,
Et templa & pacem reſtituiq́; pijs.
Autor Feudorum primus legumq́; bonarum,
Hinc Magni nomen contribuère mihi.
Vrbs reparata mihi Conſtantinopolitana,
Nomina Bizanti geſſerat illa prius.
Concilio in magno membrum præluſtre ſedebam
Chriſte, probabáris verus vbi eſſe DEVS.
Egregij mea vos olim paradigmata reges,
Iuuerit aſſerta Religione, ſequi.

Pantal. Candid.

Conſtantini ſecund. Imperat.

C*Onſtanti fratri bellum infero Conſtantinus,*
Eripuit vitam qui mihi, frater erat.

Conſtantis frater Imperat.

Q*Vi tribui vitam, vitam Magnentius aufert,*
Auguſta factus Cæſar in vrbe, mihi.

Conſtantij Frat. Imp.

I*Vnior egreditur ſæuis Conſtantius armis,*
Induperatorem pellat vt ille nouum,
Prælio in hoc omnes Romano in corpore vires
Irreparabilibus ſic cecidère modis:
Facta ſit externis vt peruia gentibus, omnis
Italia, ac omnis Gallia & Heſperia.
Quas cohibere dein vis nulla, aut pellere quiuit.
O ſtrages tanti, caſus & Imperij.
Sic minimus fratrum tenuit regna omnia ſolus:
Ambitio & luxus ſuſtulerat reliquos.

AEmulum

Digitized by Google

Æmulum & Imperij Iulianum vincere quùm vult,
Vltima cùm mœſto funera obit Genio.

Pantal. Candid.

Iuliani Apoſtatæ Imp. An. 361. reg. 2. æt. 30.

QVi Chriſtum edoctus, poſt abiurauit eundem,
Exhibuit ſancto probraq. multa gregi:
Quiq. graui tactus dira ad præcordia telo,
Ad cœlum ſparſo tabe, ita victus ait:
Viciſti tandem Galilæe, ita Chriſte vocando
Te, ſtomachabundo nequiter ore, DEVS.
Iulius hic Chriſti maſtyx, maſtyxq. piorum
Oſſa habet, illius, at Styx habet atra animam.

Pantal. Candid.

Theodoſij I. Imp. An. 383. reg. 12. æt. 60.

ATalarice meis vltrò te ſubijcis armis,
Caſus es Imperio, Maxime ſæue, meo.
Eugenium vici, Chriſto Duce, grataq. læta
Reſtitui pacis munera Chriſtigenis.
Bile calens, fateor, litaui funere ciues,
Agnoui culpam ſed, doluiq. meam.
Orbis & Imperium tenui poſtremus vtrunq.
Facta dein præda eſt gentibus Oenotria.
Vtq. ſacræ fontem accepi Theodoſius vndæ:
In Chriſti ſubij fata ſuprema fide.

Pantal. Candid.

Arcadij Imp. An. 395. reg. 13. æt. 32.

VIs mihi Ruffini victa eſt, victaq. rebellis
Caiani fraudes, Eutropijque dolus:
Vt tredecim faſces omnis Orientis habebam,
Mutaui terram cum meliore loco.

Pantal. Candid.

FL. STI-

FL. STILICHONI. V C.

Romæ.

FL. STILICHONI. INLVSTRISSIMO VIRO. MAGISTRO EQVITVM PEDITVMQVE. COMITI DOMISTICORVM TRIBVNO PRAETORIANO. ET AB INEVNTE AETATE PER GRADVS CLARISSIMAE MILITIAE AD COLVMEN GLORIAE SEMPITERNAE ET REGIAE ADFINITATIS EVECTO PROGENERI DIVI THEODOSI. COMITI DIVI THEODOSI AVGVSTI IN OMNIBVS BELLIS ATQVE VICTORIIS. ET AB EO IN AFFINITATEM REGIAM COOPTATO. ITEMQVE SOCERO DOM. NOST. HONORI AVGVSTI. AFRICA CONSILIIS EIVS ET PROVISIONE LIBERATA. EX SENA. C.

Inſcriptionum Antiq. f. LXVI.

Honorij Imp. An. 408. reg. 15. ætat. 40.

Occiduas regni poſſedit Honorius oras,
Arcadij frater, Cæſaris ille fuit.
Gotus & inuaſit Romanam Alaricus in vrbem,
Nuptaq; Placidia eſt Rex Adaulphe tibi.
Tu Gallos vaſtas, vaſtas & Iberidos arua:
Eſt data Conſtanti Placidia inde tibi.
Poſt ſex humana luſtra exit Honorius auras,
Imperij, & cœlo regna beata capit.

Pantal. Candid.

Theodoſij II. Imp. An. 423. reg. 26. æt. 50.

IN Conſtantini Theodoſius vrbe Monarcha,
Octo per luſtra, ac amplius ipſe fui.
Pacem cum Gotis, gente & cum Perſide feci,
Collecta eſt ingens Bibliotheca mihi:
Impius eſt ſub me damnatus Neſtoris error,
Vera mihi cura relligio ipſa fuit.
Sicut auo patriq; fides fuit vna mihique,
Vrna ſepulturæ ſic fuit vna tribus.

Pantal. Candid.

Eudoxiæ

Digitized by Google

Eudoxiæ Theodoſij 2. Imp. Vxoris.

Eudocia hic iaceo Theodoſi Cæſaris vxor,
Cecropiæ doctor mi pater vrbis erat:
Culta mei Domini de Marte poëmata ſcripſi,
Fæmina ſum multis anteponenda viris.

Pantal. Candid.

Valentiniani vltimi Imp. in occidente.

Hacce Valentinianus ego qui ponor in vrna,
Vltimus occiduæ rector in vrbe fui.
Dum Venere & Baccho Romæ bona tempore perdo:
Intereà prædam barbarus hoſtis agit.
Genſericus miſeros inuadit & occupat Afros,
Atila Gallorum milite inundat agros.
Qui vicit diros, mihi carus Aëtius Hunnos,
Pertulit is iuſſu triſtia fata meo.
Cuius ego allexi pellaci fraude maritam,
Maximus eſt leti maxima cauſa mei.

Pantal. Candid.

Maximi qui rapuit Imp. occidentis.

Maximus occidui rapui quia munia regni,
Genſerico occiſus, Romam adeunte, fui.
Qui verò hoc poſt me voluêre capeſſere regnum,
Vulneribus quiuis interiêre ſuis.
Ex illo Italiæ Odoacer ſibi ſumſit honores,
Deijcis hunc armis, Theodorice, tuis.
Sceptra diu poſt te Goti Romana gerebant,
Quorum Rex Teias vltimus ille fuit.

Pantal. Candid.

---

185 Digitized by Google

Martiani Imp. An. 450.

E *Vtychis errorem Synodus celeberrima damnat,*
Me duce, qui Martis nomine dictus eram,
Vandala gens pacem me dante, & Perſia cepit,
Nupta mihi virgo Pulceriana fuit.
Poſt regni ſuperos moriens ſeptennium adiui,
Hocq́; meum poſui corpus inane loco.

Pantal. Candid.

Leonis Imp. An. 457. reg. 17.

T *Hrax Leo ByZanti regno potiebar in vrbe:*
Italiæ faſces Anthemioq́; dedi.
Quùm ſeptem decies ſua ſigna reuiſit Apollo,
Sunt mea membra ſolo reddita, menſq́; polo.

Pantal. Candid.

Zenonis Imp. An. 474. reg. 17.

S *Editione potens miſerè Baſiliſcus obiuit:*
Dùm Zeno in magno rex Oriente fui.
Me mea (ſentio adhuc) viuum temetoq́; rigentem,
Obruit effoſſa nobilis vxor humo.

Pantal. Candid.

Anaſtaſij Imp. An. 491. reg. 9.

C *AEſar Anaſtaſius, quæ dogmata vera probarat,*
Abnegat, & telo fulminis ictus obit.
Illius hoc tumulo poſiti ſunt corporis artus,
In Styge, an in cœlo ſit ne anima? ambiguum eſt.

Pantal. Candid.

Iuſtini Imp. Anno 515. reg. 9.

T *Hrax pater armentarius eſt: ego Cæſar obiui*

Cum

Cum ſancta, munus, relligione meum.
Præcidi linguam de Chriſto falſa docenti
Iuſtinus, cælo eſt mens mea, corpus humo.

Pantal. Candid.

Iuſtiniani Imp. An. 527. reg. 37.

IVſtinianus ego tot magna volumina legum
Contraxi in formam diſpoſuiq́; breuem.
Grandibus vndantem muniui turribus Iſtrum,
Ingreſſus prohibens barbara turba tuos.
Aſſeruêre ſuis Aſiam & regna Itala ſignis,
Quos habui magnos Marte manuq́; Duces:
Eſt celebrata mihi Synodus Byzantide terra,
Quæ numero ex magnis ordine quinta fuit.

Pantal. Candid.

Attilæ Hunnorum Regis.

QVid tot conſpiciens, viator, altum
Erecta ad tumulum trophæa, totq́;
Victorum exuuias, Ducum Vrbiumq́;
Tot cadauera, totq́; de ſubactis
Triumphos populis, ſtupes anhelus?
Rex ille Attila, Numinum flagellum
Tu noſti reliqua: hîc iacet, Viator.
Cerne, vt nunc etiam cinis ſuperbus
Spiret imperium, minas, furorem:
Hinc caſus niſi narium ſoluta
Vena, dum thalamus nouaq́; nuptæ
Indulget nimis, abſtuliſſet: orbis
Euerſus, titulos decusq́;: monſtro
Fatali cumularet & trophæa.

Anton. Vulpius.

Totilæ Gotorum Regis.

HAEc Totilæ effigies, quo iuncta leguntur in vno
Et decor & robur & pudor & pietas.
Miſcetur decori robur, pudor emicat armis,
Quàm forti apparet pectore, tàm pius eſt.
Vrbem terrarum Dominam capit, attamen vrbis
Seruat captiuæ templa, Deosq́; colit.
Semiuir aſt illum valido domat agmine Narſes
Infractum bellis omnibus antè virum
Flebilior ſors nulla fuit: nam contigit illi
(Heu) propè fœmineâ procubuiſſe manu.

Anton. Francisc. Rainerius Mediolan.

Mauricij Imp.

PLacaui Perſas Longobardosq́; ſubegi
Inde ſed aſperior languidiorq́; fui.
Captiuos auro ſoluiſſe ex hoſte negaui,
Incluſi diris carceribusq́; meos,
Ipſe dedi meritas (nec enim emanet vltio) pœnas,
Impius occidit meq; meosq́; Phocas.
Agnoui culpam, Chriſto veniamq́; rogaui:
Inq́; fide firma ſupplicium omne tuli.
Diſcite iuſtitiam atq; æſtum compeſcere mentis
Vos quibus infenſa eſt lubrica Diua, Duces.

Pantal. Candid.

Coſroë Perſarum regis.

PErſicus en ego rex Coſroë, potentibus auſis
Qui cepi turres vrbs Solymæa tuas:
Mens abolere mihi fuerat noua dogmata CHRISTI,
Quò minus hoc poſſem reſtitit ipſe DEVS.

Nam

Digitized by Google

Nam vitam Siroë mihi filius abſtulit, idem
Intulit & fratri fata ſeuera ſuo.

Pantal. Candid.

Heraclij Imp.

P*Acem cum Perſa firmani Heraclius almam,*
Quam rapuit ſanctam reddidit ille crucem:
Eheu, Caſare me Machometica factio cepit,
Qua vomit in Verum probra nefanda DEVM.

Pantal. Candid.

Mahometi Antichriſti, reg. 9. obijt Anno 632.

E*X Arabum Mahometus ego ſum gente creatus,*
Qua vocitata prius gens Agarena fuit.
Poſt Abraha à Sara voluit ſe nomine dici:
Dos fuit vxoris innumeranda mea.
Magna meis iuſſis morem manus addita geſſit
Quis ſtipem & belli munera multa dedi:
Horum ego dux factus, leges & dogmata ſcripſi
Militibus, qua non diſplicuiſſe queant.
Plurima ſubieci victricibus oppida ſignis
Quà Damaſceni conſpiciuntur agri.
Magnetem in templo abſcondens infraq; ſuperaq;
Inſtarent aui cum propè fata mei.
Ex ferro feretrum fieri, ac exanguia in illud
Ipſe meos iuſſi membra locare mea:
Non ſuprà aut infrà, media ſed in ade ſepulchrum
Pendet, & hac noſtrum Numen imago probat.
Faſcinum vbiq; valet: vos qui ſucceditis, omni
Imperij fines amplificate modo.

Pantal. Candid.

Digitized by Google

Amiræ Mahometani.

SVccedens Amiras Damaſci ſubdidit vrbem
Ille tuus fuerat, Rex Mahomete, gener:
Ingentem & Gazam bello, Solymaaq́; vicit
Mœnia, ſucceſſus obtinuitq́; bonos.

Pantal. Candid.

Ahumari & Muhauiæ.

AEgypti ingentes Ahumar prædiuitis oras
Cæſaream cepit mœnia Muhauias.
Idem Coſroe natum deuicit, & inde
Adiecit regnis Perſica regna ſuis.

Pantal. Candid.

Muthauiæ, Anno 655.

AFrica Muthauia victa eſt, qui claſſe per æquor
Inuectus cepit Marte potente Rhodum:
Poſt Aſiæ Saraceni fera bella pararunt:
Et terræ inſtabant Heſperia ampla tuæ.
Omnia præcipiti peragrant vafra dogmata curſu:
Quod placet id facilè credere quiſq́; ſolet.
Horum magnificis ſunt indita corpora buſtis:
Aſt animæ ſtygijs excruciantur aquis.
Quiſquis enim Chriſti ſanctum non Numen honorat:
In ſummo ſedem non habet ille polo.

Pantal. Candid.

Conſtantini Copronymi Imp.

COpronymus ſacras fœdo baptiſmatis vndas:
Inde mihi ratio nominis huius erat.
Cum ſtatuis bellum diuina per atria geſſi,
Tractaui ſanctum verberibusq́; virum.

Luſtraq́;

Luſtraq́ poſt ſeptem regnum vitamq́ reliqui,
Inq́ polo vita iam meliore fruor.

Pantal. Candid.

Leonis quarti Imp.

LVſtrum vbi regnaſſem, puerum regemq́ creaſſem:
Hic mea depoſui corporis oſſa, Leo.

Pantal. Candid.

Leonis Iſaurici Imp.

REppulit Iſaurus Byzanti à mœnibus hoſtem,
Et Saracenas obruit ille rates:
Iuſſit & è templis Diuûm ſimulacra moueri,
Romani ſubijt Præſulis ergò minas:
Sic ad Gallorum facta inclinatio Reges
Paulatim, Auſonij Pontificiſq́, fuit.
Quumq́ Leo poſtquam regnaſſet luſtra, ſubiuit
Corporis vrna ſolum, pectoris aura polum.

Pantal. Candid.

Conſtantis Imp.

VIginti ſeptem regnum moderatus in annos:
Romanum incluſi carcere Pontificem.
A Saraceno magnam ſum milite cladem
Paſſus, ab Italia dum Siculosq́ ſequor:
Perfuſus calida Conſtans ego ſtrangulor vnda,
Infelix & in hac ſum tumulatus humo.

Pantal. Candid.

Conſtantini Imp.

COnſtantinus ego Biſantia mœnia texi,
Annos dum ſeptem ſceptra decemq́ gero:
Et Saracenas, ſpeculis mira arte cauatis
Excuſſi incenſas igne cremante rates.

Doctrinam

189
Digitized by Google

Doctrinam in Synodo veram, quibus optime polles
CHRISTE, voluntates aſſeruiq́ duas.
Pace data terris, placidè ſuprema ſubiui
Fata, polo reddens ſpiritum, at oſſa ſolo.

Pantal. Candid.

Philippi & Artemij Impp.

SEcretas tenui qui res Artemius aulæ
Vt raperem Domini ſceptra verenda mei:
Induperatorem priuaui luce Philippum,
Et titulos geſſi, ſic ego Cæſareos,
Quos iterum amitto Monachorum ad ſepta repulſus:
Et quia ad imperium tento redire, necor.
Et Scriba & Doctor, Monachusq́ & deniq́ Cæſar
Miles &, hoc vno tot recubant tumulo.

Pantal. Candid.

Irenæ Imperatricis & Conſtantini Imp. eius filij.

IMperium denos Irena regebat in annos
Cùm nondum pubes filius ipſe foret:
Póſt oculis mater regem priuauit eundem
Reſtituit ſacris & ſimulacra locis.
Romani cædem & regnum muliebre peroſi
Cùm peteret proprios Itala terra Duces:
Carole, regnorum ad faſces te, Magne, vocarunt
Sic decus imperij Teutonis ora capit,
Quæ propter vita caſſos, ſua lumina viuis
Abſtulit Irena hic lucis egena cubat.

Pantal. Candid.

Cuiuſdam ſepulti in longis Thraciæ muris (erant contra Barbarorum incurſus extructi) in cuius arca lapidea hæc verba aurea lamina inſcripta inuenta ſunt. Anno 782.

CHRISTVS

Digitized by Google

CHRISTVS naſcetur ex virgine Maria & credo in eum: ſub Conſtantino & Eirene Imperatoribus: O Sol iterum me videbis.

Anal. & Palmenus.

Modoadi Archiepiſcopi Treuir.

HOc eſt ſanctuarium DEO dilecti Treuirorum Archiepiſcopi MODOADI: Cuius ſanctitatem Chriſto deuotus rex Dagobertus, ſicut in præcepto eius de Eccleſia Treurenſi continetur, verbis magnificauit, & circa Rhenum & fluuium Ligerim rebus magnificè ditauit.

Treuiris in Paulino templo.

DAGOBERTI REGIS FRANCIÆ

Arcui inſcriptum.

CY GIST DAGOBERT. PREIER FONDATEVR. DE. CEANS. II. ROY EN. L' AN. 632. IVSQVE AN. 645.

Ludouicus Rex filius Dagoberti.
Carolus Martellus Rex.

1 Berta Regina vxor Pipini.
2 Pipinus Rex, pater Karoli Magni.

Kallomannus Rex filius Pipini.
Himintrudis Reg. vxor Karoli Magni.

CAROLI MARTELLI AVI CAroli Mag. ob. DCCXLI.

In æde Dionyſ.

ILle Brabantinus Dux primus in orbe triumphans
Malleus in mundo ſpecialis Chriſticolarum

C

Digitized by Google

Dux, Dominusq́; Ducum, Regum quoq; Rex fore ſpernit,
Non vult regnare, ſed regibus imperat ipſe.

Anonym.

Caroli Magni.

Aquisgrani.

Arcus ſuprà tumulum eius deauratus, cum imagine & titulo extructus eſt, cum tali inſcriptione.

SVb hoc conditorio ſitum eſt corpus Caroli Magni & orthodoxi Imperatoris, qui regnum Francorum notabiliter auxit, & per annos 46. feliciter rexit.

In Monaſterio S. Maximini, Choriq; ibidem medio in ſolo ſtratum ex candido nigroq; marmore ingenioſa & eleganti varietate diſtinctum.

ADA ANCILLA CHRISTI, SOROR KAROLI MAGNI.

Rolandi Sororij Caroli M. ob. DCCC.

TVpatriam repetis, triſti nos orbe relinquis:
Te tenet aula nitens, nos lacrymoſa dies.
Sed qui luſtra geris octo & binos ſuper annos,
Ereptus terris iuſtus ad aſtra redis.

Carol. Mag. Imp.

Ludouici Pij Imp. ob. An. 841.

FIlius imperij cepit Ludouicus habenas,
Nomen ab inſigni qui pietate tulit.
Hic ſtudium pacis, cum bella peroſus amaret:
Marte tamen clarus militiaq; fuit.
Cymbrica ſedato pacauit regna tumultu,
Exitium fratri fratre mouente ſuo.
Compulit & ſumptis abſiſtere Britonas armis,
Stricta iubens ſaua ponere tela manu.

Expulit

Digitized by Google

Expulit Auſonios & Tybridis vrbe Quirites,
Qui caput exortæ ſeditionis erant.
Fœlix, ſi ſterili ſobolem natura negaſſet,
Nullus & vxoris cognitus eſſet amor.
Quos genuit natos, crudeles repperit hoſtes,
A quibus (heu) captus vincula ſæua tulit.
Mox tamen ereptus fatali carceris antro,
Cepit honorata reddita ſceptra manu.
Emeritam clauſit ſupremo fine ſenectam,
Mogus vbi Rheni cornua miſcet aquis.

Geor. Sabinus.

Gotifredi Bilionij Regis Hieroſolymæ obijt Anno M.

GOtifrede pijs Solymos dùm ſubijcis armis,
Et renuis capiti regia ſerta tuo.
Nil vnquam humano diuinius exijt ore
Regali quàm quod exijt ore tibi.
Laurea non hominem geſtare, nec aurea Regem
Fas, vbi rex Diuûm ſpinea ſerta tulit.
Macte Heros tàm voce hac, quàm victricibus armis,
Qua Babylon, omniſq; horruit Aſſyria.

Anto. Francis. Rainer.

Conradi I. Imp. ob. 919.

MArte ferox Scythicis Conradus reſtitit Hunnis,
Atq; neci victor millia multa dedit:
Oenus ab Alpina præceps vbi rupe volutus,
Humectat gelidis Norica rura vadis:
Francorum veteri poſtremus origine Cæſar,
Stirpe fuit gentis deficiente ſua.

Conradi 2. Imp. ob. 1039.

Spiræ.

F*Ilius hic, pater hic, auus hic, proauus iacet iſthic*
Hic proaui coniux, hic Henrici ſenioris.

FRIDERICI I. Imperatoris.

E*Xciſa Italiæ cupiens penſare ruinas,*
Vel ſaltem in pulcra quærere morte decus
AEnobarbe, Aſiæ fines irrumpis, & hoſti
Eripis auectas Religionis opes.
Inuidit captis fortuna inimica ſecundis:
Nam dum te in nitido proluis amne, cadis.
Mactè animus ingens, Aſiæ digniſsime campis,
In quibus illuſtres tot cecidêre viri:
Hinc Vatum calamos & marmora & æra fatigas,
Hinc meritò claris annumerare viris.

Antonij Vulpij.

Aliud.

S*Veuus eram, mea me bellax audacia cœlo*
Suſtulit aſtrigero.
Norica Pannonijs coniunxi ſaxa colentes,
Fœdere pacifico.
Inſubres domui, & Danum parêre coegi
Legibus imperij.
Europæ impoſui frænos, Aſiaq́; ſuperbis:
Africa me timuit.
Ipſe tamen cuius vires animosq́; feroces
Senſit vterq́; Polus:
Captiui tenero nati deuinctus amore,
(Ceperat hunc Venetus,)
Non aſſueta iugo ſubmiſi colla ſupremi
Pontificis pedibus.

Et tan-

Digitized by Google

Et tandem Armeniæ merſantem flumine membra
Me tulit vnda rapax.

Georgius Iodocus Berganus.

Beatricis Coniugis Friderici I. Barbaroſſæ Imp. obijt 1192. Spiræ.

HOc altare ſacrum gemmis auroq́ decorum
Fecit peccatrix non re ſed voce Beatrix.

N. N.

Friderici II. Imp. Anno 1250. Panormi.

SI probitas, ſenſus virtutum, gratia, cenſus,
Nobilitate orti poſſent obſiſtere morti:
Non foret extinctus Fridericus qui iacet intus.

Conradini Suevi, capite plexi, Anno M. CC. LXIIX.

ASturis vngue leo Pullum rapiens Aquilinum,
Hic deplumauit acephalumq́ dedit.

Anonym.

Adolphi Naſſovij Imp. obijt 1298. Spiræ.

ANno milleno trecentis bis minus annis,
In Iulio menſe Rex Adolphus cadit enſe.

Tamerlani Scythar. Imp. obijt Anno M. CCCC. II.

ILle nouus Xerxes, orientis victor, & ingens
Quacunq́ permearet horror gentium.
Compleuit totos Scythico qui milite campos,
Sub hac iacet tellure trux Tamerlanes.

Cuius ad aduentum ſtupefactis mœnibus vrbes
Ipſumq́ terra contremiſcebat ſolum.
Ipſi adeò montes, ipſæ perdeuia valles,
Vim barbarorum non ferebant agminum.
Quare ab Caucaſeis Aſiam conuallibus omnem
Ad vſq́ Nili flumina armis ſubdidit.
Euphratem & Tigrim, & rapidum tranauit Orontem,
Vi, vaſtitate, cæde, cuncta proterens:
Vtq́ olim fœda cum tempeſtate coorta
Erumpit atra nube fulmen igneum.
Obuia quæq́ cadens perrumpit, & alta ſonanti
Templa atq́ ſolidas ſtrage turres disijcit.
Subſidit vaſto tellus labefacta fragori
Humilisq́ mentes ſternit humanas pauor.
Haud ſecus ille viam ferro molitus & igni,
Euertit arces, oppida æquauit ſolo.
Regem Aſiæ horribili captum impete Baiazeten
Caueaq́ clauſum ferrea circumtulit.
Hæc agitantem illum & ſpirantem immania iuſſa,
Quæ cunctus vndiq́ orbis expaueſceret.
Exiguo cæcæ domitum molimine febris,
Fatalis vno ſoluit hora triduo.
Deq́ tot inſanis opibus, de tot modò regnis
Reliqua vna paruo gleba texit puluere.

Gabriel Faernus.

Vladiſlai Poloniæ regis, qui ad Varnam perijt A. 1444.

Romulidæ Carras, ego Varnam clade notaui,
Diſcite mortales non temerare fidem:
Me niſi Pontifices iuſsiſſent rumpere fœdus,
Non ferret Scythicum Pannonis ora iugum.

Anonym.

Alphon-

Alphonſi x. Hiſpan. obijt A. 1458.

Neapoli.

INclitus Alphonſus qui regibus ortus Iberis,
Hic regnum Auſoniæ primus adeptus, adeſt.

Ex monum.

Georgij Caſtrioti Scanderbechi, Epiri Principis, obijt An. M. CCCCLXVI. æt. LXIII.

TVrcarum clades, Otomanni nominis horror
Epiri tutela, illo iacuêre ſepulchro,
Quo quondam inuicti cubuerunt oſſa Georgi.
Nunc & membra viri, & diſiectum in fruſta ſepulchrum
Interijt, ſparſi manes, conciſa vagantur
Oſſa, nec in gelida nunc ſaltem morte quieſcunt.
Nanq; vt is aſſertum toties cum laude paternum
Imperium, exacta moriens ætate reliquit,
Illicet immanes tenuerunt omnia Turcæ.
Tùm clari Herois venerati nobile buſtum
Oſſaq;, marmoraq;, inuictum condentia corpus
Abſtulerant, ſibi quiſq; in partes ſecta minutas,
Tanquam ijs bellica vis, & Martius ardor ineſſet:
Et genium præſtare bonum, ſortemq; valerent.
Sic quæ alijs tumulum virtus parat, abſtulit illi
Atq; eadem diro venerandum præbuit hoſti.

Gabriel Paernus.

Friderici Palatini Victorioſi.

Fridericus Victorioſus Palatin. obijt Anno 1477. 12. octob. æt. 51. ſepultus in cœnobio fratrum Minorum Haidelbergæ, in Sacello quod adhuc viuens extruxerat, Sarcophagoq; imaginem ſuam ſpecie Principis Electoris pulcrè incidi fecit, & ſtatuas quatuor Eccleſiæ Catholicæ Doctorum (quæ in quatuor angulis aut cornibus Sarcophagum fulcirent) lapideas erigi

trigi inſſerat: Sed neſcio qua ſuperſtitione, vna quatuor illarum imaginum ſiue D. Ambroſiū, ſiue doctum Auguſtinū repræſentans, adempta eſt, & in eius locum effigies cuiuſdam fratricelli, quem Franciſcum vocant, ſurrogata.

Inſcriptio Sepulchri ſic habet.

FRIDERICO MAGNANIMO BAVARIAE DVCI, PATRIAE PATRI COMITATVS RHENI PALATINI AVGVSTO, TRIVM, ILLSTRIVM HEROVM VICTORI: PHILIPPVS BAVARIAE DVX ET COMES RHENI PALAT. NEPOS, PATRVO AC TVTORI FIDELISSIMO.

Caroli Burgundiæ Ducis, qui occubuit Anno M. CCCC. LXXVII. ætat. XLIV.

Vidiſtine vt Pyrrhi effigies armata Sariſſam
Vibret, & à ſummo ſpargantur funera ferro?
Vtq́; ferus Lybicam contorqueat Annibal haſtam:
Hûc ſimul ac conuerte oculos, fulgentiaq́; arma
Egregij Ducis, ac latè mucrone coruſco
Inſpice turbatos vultus, ſpirantiaq́; ora
Martis adhuc triſtes pugnas, atq́; horrida bella.
Hos olim inſignes habitus atq́; ora gerebat,
Illum ſanguineis quum formidauit in vndis
Et Liger, & trepidi ſpectator Sequana belli,
Infracta Gallorum acies, & Belgica paſſim
Agmina letiferæ ſenſerunt fulmina dextræ.
Heu miſer, heu nimium pugnandi dira cupido,
Heu laudis veſanus amor, quem Gallia diues,
Belgarumq́; omnes procerum tremuêre cohortes,
Contempsêre rudes populi, gens Barbara victrix
Funeribus ſtrauit medijs victumq́; trophæis,
Expoliat cunctis, nudumq́; relinquit arena,
Vix tandem inuentus parua hac requieſcit in Vrna.

Paul. Iouius Iunior.

Mahome-

Digitized by Google

Mahometis II. Turcar. Imp. obijt Anno M. CCCC. XXCI.

QVi vici innumeros populos, tot regna, tot vrbes
Solus & immenſi qui timor orbis eram,
Me rapuit, quæ cuncta rapit Mors improba: ſed ſum
Virtute excelſa ductus ad aſtra tamen.
Maior Alexander non me fuit, Annibal & non
Fuderit Auſonios tot licet ille Duces.
Vici victores Danaos, domuiq́; feroces
Caoniæ populos Sauromataſq́; truces.
Pannonius ſenſit quantum ſurgebat in armis
Vis mea, quæ Latio cognita nuper erat:
Arſacida ſenſère manus has, ſenſit Arabsq́;
Et mea ſunt Perſæ cognita tela Duci.
Mens fuerat bellare Rhodum, ſuperare ſuperbam
Italiam: ſed non fata dedère modum
Heu mihi: nam rapuit mors aſpera, quæq́; ſub alto
Pectore condideram, vertit & hora breuis.
Sic hominum faſtus pereunt: ſic ſtemmata, ſicq́;
Imperium, atq́; aurum, quicquid & orbis habet.

Leonard. Griffius.

Caroli IIX. Gallor. Regis.

IMpiger aërias Carolus dùm tranſilit Alpes,
Parthenopen ſtricto dùm petit enſe ferox,
Horruit illum omnis bello clariſſima tellus
Itala, & inuicti frena ſuperba tulit:
Victorem ſed ne hunc æternum ſecla viderent
Noſtra ducem: antè annos inuida mors rapuit.

Landrianus Mediolanenſ.

Digitized by Google

Matthiæ Coruini reg. Vngariæ A. 1490. re. 33. æt. 47.

COruini breuis hæc vrna eſt, quem magna fatentur
Facta fuiſſe Deum, fata, fuiſſe hominem.

Anton. Thebaldus.

Ferdinandi Hiſpan. ob. A. 1494.

Neapoli.

FErrandus ſenior, qui condidit aurea ſecla,
Italia hic felix viuit in ore virum.

Ferrandus An. 1498.

FErrandum mors ſæua diu fugis arma gerentem,
Mox poſitis, quænam gloria? fraude necas.

Anonym.

Ladiſlai regis.

MIraris niueis pendentia ſaxa columnis
Hoſpes, & hunc acri qui ſedet altus equo.
Quid ſi animos, roburq́; Ducis, præclaraq́; noſſes
Pectora, & inuictas dura per arma manus?
Hic capitolinis deiecit ſedibus hoſtem
Bisq́; triumphata victor ab vrbe redit,
Italiamq́; omnem bello concuſſit & armis,
Intulit Hetruſco ſigna tremenda mari.
Neue foret Latio tantum diademate felix,
Ante ſuos vidit Gallica ſceptra pedes:
Cumq́; rebellantem preſſiſſet pontibus Arnum,
Mors vetuit ſextam claudere Olympiadem.
I, nunc, regna para, faſtosq́; attolle ſuperbos,
Mors etiam magnos obruit atra Viros.

Iac. Sannazar.

Mar-

Digitized by Google

Marchionum Auſtriæ.

in Melk Monaſt.

LEopoldus I. cum vxore ſua Reichart.
Hainricus filius eius, cum vxore Svvinhild.
Albertus filius Heinrici, cum vxore Adelhaide.
Domina Frovviſa vxor Leopoldi ſecundi.
Arneſtus filius Alberti Marchionis cum vxore Mechtilde, & filia Iuditha.
Leopoldus tertius Arneſti filius, cuius vxor in Græcia mortua, ſepelitur ibidem.

Ex Apiano.

Alexandri VI. Pontif. M. veneno obijt An. M. D. III.

FOrtaſſe neſcis, cuius hic tumulus ſiet,
Adſta viator ni piget:
Titulum quem Alexandri vides, haud illius
Magni eſt, ſed huius: qui modò
Libidinoſa ſanguinis captus ſiti
Tot ciuitates inclitas,
Tot regna vertit, tot duces letho dedit
Natos vt impleat ſuos:
Orbem rapinis, ferro, & igne funditus
Vaſtauit, hauſit, eruit:
Humana iura, nec minus cœleſtia
Ipſosq́; ſuſtulit Deos:
Vt ſcilicet liceret (heu ſcelus) patri
Natæ ſinum permingere,
Nec execrandis abſtinere nuptijs
Timore ſublato ſemel.
Et tamen in vrbe Romuli hic vel vndecim
Præſedit annis Pontifex.

H ij

Digitized by Google

I nunc Nerones, vel Caligulas nomina
Turpes vel Heliogabalos.
Hoc ſat viator: reliqua non ſinit pudor
Tu ſuſpicare, & ambula.

Iacob. Sincer. Sannaz. Epig. lib. 2.

Aliud.

NOmen Alexandri ne te fortaſſe moretur:
Hoſpes, abi, iacet hic & ſcelus & vitium.

Sannazar.

Aliud.

DIc vnde, Alecto, pax hæc effulſit, & vnde
Tàm ſubitò reticent prælia? Sextus obit.

Sannazar. lib. 1. Epig.

Aliud.

BEllo, inimicitijs, furtisq́; & cædibus hauſtam
Italiam cernis Sexte, & obire potes?

Sannaz. lib. 2. Epig.

Aliud.

DIc in amicitiam coeant & fœdera iungant
Mortales: dixit Sextus, & ocubuit.

Lucretiæ.

COnditur hoc tumulo Lucretia nomine, ſed re
Thais: Alexandri filia, ſponſa, nurus.

Sannaz.

MAXI-

Digitized by Google

MAXIMILIANI Imp. Aug. pij.

DEO
OPT. MAX.
TRINO ET VNI
SACRVM
NOBILISSIMO CÆSARI MAXIMILIANO
P. F. INVICTO. AVG.
DIVI FRIDERICI AVSTRII FILIO. IMP.
MAX. GERM. POT. P. P. LIBERALISSIMO

Et in omni fortuna modeſtiſsimo, fortiſsimoque Principi. Optimo, pijſsimo, clementiſsimo apud Anaſanam VVelſam Præmagno omnium luctu, iniquiſsimis fatis erepto, Anno à Chriſtiana ſalute M. D. XVIIII. pridiè eidus Ian. vixit annos LVIIII. Menſ. IX. D. XIX.

Imperauit ann. XXXI. menſ. XI. di. XXI. nulli Augg. & Cæſſ. iuris & æquitatis obſeruantia, belli & pacis arte, ſapientia, temperantia, placabilitate, innocentia, religione aliáue virtute inferior.

Publicæ Germanorũ ſalutis curatori, libertatis aſſertori, quietis fundatori MICHAEL HVMELBERGIVS Rauenſpurgenſis Numini Maieſtatiq; eius deuotus, religioſa mentis atq; animi pietate poſuit.

Benè valeas, quisquis ades, faues, legis & monimentum obſignas. Malè pereas, quisquis abes, marces, liues & monimentum diſſignas.

Franciſci Ferdinandi Davali Piſcarij.

QVid ſceptra ad tumulum, vincti quid compede reges?
Quidué tot inuicta ſigna relata manu?
Quid galeæ, quid ſcuta nitent, quid gæſa, quid enſes?
Quid viret æternis Laurus opaca comis?

Num Mars, num Daualus tumulo iacet? hic ſitus, hic eſt,
Heu Daualus, quin Mars cum Daualo ipſe iacet.

Anonym.

D. Alphonſi Dauali Marchionis Piſcarij.

QVis iacet hoc gelido ſub marmore? maximus ille
Piſcator, belli gloria, pacis honos,
Nunquid & hic piſces cepit? non, ergo quid? vrbes,
Magnanimos reges, oppida, regna, duces.
Dic quibus hæc cepit Piſcator retibus? alto
Conſilio, intrepido corde, alacriq; manu.
Qui tantum rapuêre Ducem? duo Numina, Mars, Mors,
Vt raperent quid nam compulit? inuidia.
Nil nocuere tamen: viuit nam fama ſuperſtes,
Quæ Martem & Mortem vincit, & inuidiam.

Cœlius.

Coſmu Medices I.

Florentiæ.

COSMVS MEDICES HIC SITVS EST.
DECRETO PVBLICO
PATER PATRIÆ.

Antonij Leuæ.

SEquana victori parêret victus Ibero,
Tu niſi ſublatus funere Leua fores.

Geo. Sabin.

Aliud.

QVum ſemper vincas, totis licet, artubus æger,
Conſilio non vi vincere, Leua, doces.

Anto. Vulpius.

Aliud.

Aliud.

HIc Leua eſt, Lena Heſperiæ laus maxima terræ
Quà Bætis tumidas in mare fundit aquas,
Implicitus cunctis morbo artubus, horrida bella
Artibus & ferro geſſit & explicuit.

Rainerius.

Catharinæ Reginæ Suetiæ: Guſtaui A. 1524. in regem Suetiæ electi coniugis.

QVam velut orba ſuam deplorat Suecia matrem,
Vxor in hoc tumulo regis humata iacet:
Quattuor adiecto vix luſtra peregerat anno,
Clauſit vbi ſummum funere rapta diem,
Nec vitale tamen lumen ſine prole reliquit,
Vno factatori pignore mater erat.
Nunc æterna capit cœleſtis gaudia vitæ,
Sincera coluit quod pietate Deũm.

Geo. Sabin.

Ludouici reg. Vngar. occubuit cont. Turc. A. 1526. æt. 20. die 29. Aug.

NAtus ab antiquo Ludouicus ſanguine Regum,
Pannoniæ geſſi ſceptra potente manu.
Occubui, patriam dum protego fortibus armis,
Thrace fero regnum depopulante meum:
Nec tamen aduerſo cecidi quod Marte peremtus,
Patria quod mecum concidit ipſa, queror.

Geo. Sabin.

Margaritæ filiæ Maximil. II. Imp. ob. Bruxell. An. 1530.

LVſtra decem vitæ Lacheſis modò neuerat, & mox
Stamina Parca ferox fatalia rupit, iterq;

Ire

197
Digitized by Google

Ire perobſcurum nulli remeabile iuſsit.
At vos plebeio geniti de ſanguine, quando
Ferrea nec nobis didicerunt fata, nec vllis
Parcere nominibus, patientius ite ſub vmbras.

Ioh. Secund. Hagius.

Annæ vxoris Ferdi. Imp. Vladislai Vngar. & Bohem. regis F. ob. Anno 1547.

Coniugij ſpecimen caſti, ſanctiq́ pudoris
Dimidiumq́ animæ, rex generoſe, tuæ,
Filia quæ regis, regis quæ nupta, parensq́
Hæc eadem regum, regis & ipſa ſoror,
Vſq́ ab auis atauisq́ genus de ſanguine regum
Et Diuum numen nunc quoq́ & ipſa nouum,
Deliciæ Anna hominum, miſerorum portus & aura,
Secli infelicis vnica gemma ſui:
Bis duo quæ pueros, bis quinq́ enixa puellas
Æterna Auſtriacæ fulcra futura domus,
Poſtremo, heu, rapta eſt fœcunda puerpera partu,
Lenior, hoc ſaluo mors ſibi dura fuit.
Quas vicit candore, roſæ hinc & lilia vernent,
Semper & huic tumulo pax ſit & alma quies.

Frid. Nauſea Epiſc. Vien.

Ruperti Palatini Filij Stephani Palat.

ANte Moguntina tu Relligioſus in vrbe
Miles eras ſacri, Duxq́ Ruperte, Chori.
Poſt Martis Geticos præfortis miles in hoſtes,
Verteris in caſtris alta Vienna tuis.
Inde triumphali in patriam cum laude reuerſus,
Accipis imperijs debita iura tuis.
Qui fuit & fratris natus VVolfgangus, es illi
Tutela & rerum Duxq́ paterq́ datus.

Natus

Natus erat Ianus tibi cumq; Georgius hæres,
Præſecuit vitæ ſtamina Parca tuæ.

Pan. Can.

Franciſci I. regis Galliæ, ob. A. 1547. æt. 53.

FRanCIsCVs GaLLIs: HenrICVS Verò BrItannIs,
RoMano regI Cara qVoqVe VXor obIt.

Aliud.

TResſVnt eCCLIpſes: RegIna & GaLLVs & AngLVs
DeCeDVnt, HeſſVs SaXoqVe Marte CaDVnt.

Sigiſmundi I. reg. Poloniæ, ob. An. 1548. æt. 81. re. 42.

POſt regnI patrII rex SIgIsMVnDVs honores
ReX pIVs & fortIs regna beata ſVbIt.

Philippi Comitis Palatini, & Ducis vtriuſq; Bauariæ, qui deceſſit Anno Domini 1549.

CAEtera qui circum luſtras monumenta Viator,
Hæc quoq; non longa eſt, perlege pauca, mora.
Si Ducis audita eſt forſan tibi fama Philippi,
Clara Palatinæ quem tulit aula domus.
Qui modò Pannonicam defendit ab vrbe Viennam,
Et ſoluit trepidos obſidione viros.
Tunc cùm Threicij vaſtarent omnia Turcæ,
Et tremerent ſubito Norica regna metu.
Mox etiam impleuit magnum virtutibus orbem,
Vtilis hinc armis, vtilis inde toga.
Illius hac tegitur corpus venerabile terra,
Hîc animam, hîc vitam reddidit ille DEO.
Quod te ſi pietas, ſi quid mouet inclyta virtus,
Iunctaq; cum ſumma nobilitate fides.
Huic opta vt cineres placida cum pace quieſcant,
Condita nec tellus durior oſſa premat.

I

188
Digitized by Google

Nam pius ad cœli ſublatus ſpiritus arces,
Cum CHRISTO *viuit tempus in omne ſuo.*

Iacob Micyllus. f. 341.

Aliud Eiusdem.

INclytus ille armis Dux & pietate, Philippus,
Clara Palatinæ quem tulit aula domus.
Qui pariter laudis ſtudio flagrauit honeſta,
Et vixit ſolidæ relligionis amans.
Virtutum poſtquàm decoratus honore ſuarum,
Rettulit hinc meritis præmia digna ſuis:
Et documenta dedit dextræq; animiq; virilis,
Et quid conſilio poſſet, et ingenio.
Hic vbi Pannonicam defendit ab hoſte Viennam,
Et ſoluit trepidos obſidione viros:
Tunc cùm Threicij vaſtarent omnia Turcæ,
Et tremerent magno Norica regna metu.
Contemptis opibus mundi, rebusq; caducis,
Quas hominum captat futile, inersq; genus.
Et pacem, qui te profitentur, CHRISTE *, precatus,*
Hoc vitæ ſummum clauſit in orbe diem.
Et nunc æterna quoniam de morte redempti
Per tua, nate DEO, *funera,* CHRISTE, *ſumus.*
Ipſe quoq; æthereæ procul hinc in ſede receptus,
Aſpectu fruitur lætus, ouansq; DEI.
Quare age quid dubitas? aut quid circumſpicis hoſpes?
Hic genus, hic virtus, hic iacet omne decus.
Quodq; diu multis fuit inſuperabile bellis,
Conditur hic modico corpus inane ſolo.
At pius ad cœli ſublatus ſpiritus arces,
Cum CHRISTO *viuit tempus in omne ſuo.*
Illaq; tantarum rerum per Cæſaris ora,
Per regum, & populi fama ſuperſtes abit.

Iac. Micyll. f. 341.

Aliud

Aliud Eiuſdem.

Dux inclytus pridem, Palatij Comes
Philippus, vnus qui DEO *& virtutibus*
Aetatem agebat, deditus præ cæteris:
Poſtquàm eſt adeptus gloriæ ſummum decus,
Nomenq́;, quod nec longa diminuat dies:
Documenta certa quòd dediſſet patriæ,
Animiq́;, conſilijq́;, & ingenij ſui,
Aduerſus hoſtem religionis impium:
Tunc cùm Viennam, Pannonum vrbem nobilem
Cinxiſſet obſidione Turcicus furor,
Mundum, relictis rebus & opibus, quibus
Pleriq; freti vitam agunt ſecuriter,
Valere iuſsit, & obijt diem ſuum,
Precatus pacem Chriſtianis omnibus.
Atq; vt perenni morte liberatus eſt
Per mortem IESV, *Domini & vnici* DEI:
Ita viuet ex hoc in patris gremio ſui:
Expers mali omnis, & boni omnis conſcius.
Quare quid hic viator tecum cogitas?
Iacet hoc, quidem virtus loco, & genus, & honos,
Corpusq; terra, obnoxium fato, tegit.
Aſt anima in altum euecta, cælum poſſidet,
Celebrantq́; virtutem, & decus tanti Ducis,
Et Cæſar & reges, & orbis principes.

Iac. Micyl.

Ioachimi I. Electoris Marchionis Brande-burgenſis, ob. An. M. D. XXXV. æt. LI. Fundator Academiæ Francofort.

Hic Ioachime tui ſita corporis oſſa quieſcunt,
Marchio, qui primus nominis huius eras.

138
Digitized by Google

Nullus in imperio fuit obſeruantior æqui,
Nec patriæ rexit mitior alter opes.
Sanguine cum paſcant animos & cæde Tyranni,
Quos fera plus hominum bella ſalute iuuant:
Publica tranquillæ tu commoda pacis amaſti,
Nulla tuo ſtrages edita Marte fuit.
Cùm tamen vlciſci tua dextera debuit hoſtem,
Acer eras: quanquam bella peroſus eras.
Autor es, infeſti quod non timet arma latronis,
Per tua qui carpit regna viator iter.
Nam conſueta diu prædis ac viuere rapto,
Te graue ſupplicium vindice turba dedit.
Quinetiam facundus eras: Germania nouit,
Eloquij fuerit gratia quanta tui.
Neſtoris es linguæ dulcedine nomen adeptus,
Vt tuus Aeacide nomen Achillis auus.
Marchia, Cæſareis te legibus auſpice, gaudens,
Suſtulit è patrio barbara iura foro.
Gymnaſiumq́; recens fundaſti, docta iuuentus
In quo Pieridum dulcia plectra mouet.
Ergò prius Sueuus mutabit & Odera curſum,
Per tua qui liquidis regna feruntur aquis:
Cæruleus q́; retro ſua cornua flectet Hauelus,
Quàm virtutis erit fama ſepulta tuæ.
At pia nunc animæ concedat gaudia CHRISTVS,
Qui tibi confugium ſpesq́; ſalutis erat.

Geor. Sabin. lib. 4.

Alberti Cardinalis Archiepiſcopi Moguntini & Madeburg. Marchionis Brandenb. ob. 1546.

ALbertus iacet hoc loco ſepultus,
Qui de ſanguine regio creatus,
Lumen Cardinei fuit Senatus:

Qui

Qui virtute potentiaq́; rexit
Magni Saxonicas Othonis vrbes,
Et Moguntiaci fluenta Rheni:
Nil Germania maius hoc habebat.
Nam de litibus arduisq́; rebus
Conuentus vbi Principes agebant,
Verbis promtus & elegante lingua
Ceu Laërtiades regebat alter
Totum conſilio ſuo ſenatum:
Ac tot diſsidijs vbiq́; motis,
Terrarum benè conſulebat orbi.
Pacis ſuaſor erat, quieta pacis
Sanus ocia præferebat armis:
Quin et iuſtitiæ tenax & æqui
Dignas ſontibus irrogare pœnas
Complectiq́; bonos & innocentes,
Mitis non ſecus ac parens ſolebat,
Nec fuluum ſibi congerebat aurum
Doctos munera conferens in omnes:
Diſpenſabat opes, manuq́; larga
Sacras Pieridum fouebat artes.
Hunc lugubria tectus ora velo
Albis, Rhenus, Hauelus, hunc peremtum
Fontis Pegaſei cohors, & omnis
Eſt Reſpublica proſecuta fletu.

Geor. Sabin.

Friderici Marchionis Brandeburgenſis Archiepiſcopi Magdeburgenſis, qui obijt An. 1552.

Reddidit ante diem Fridericus Marchio vitam,
Factus vbi præſul Parthenopæus erat.
Hunc vbi conſpexit Reſpublica morte ſolutum,
Fleuit, & hæc mœſto pectore verba dedit:

Digitized by Google

O columen, Friderice, meum, ceu meſſis in herba,
Ah tua ſub primo flore iuuenta perit.
Te vix alter erat præſtantior indole Princeps:
Spes erepta mihi funere quanta tuo?

Ge. Sab. li. Epigram.

Georgij Principis Anhaltini Erneſti F. qui natus eſt An. 1507. præpoſitus Magdeburgenſis, Eccleſiam Dei voce & literarum monumentis pijs erudiuit. ob. An. 1553.

Principis Aſcaniæ nati de ſtirpe Georgi
Quem cernis tumulus proximus oſſa tegit,
Huic fuit Erneſtus genitor, qui pacis amore
Promeruit patriæ totius eſſe Pater.
Matris erat caſtæ Monſterbergenſis origo,
Sincera coluit quæ pietate DEVM.
Aſcaniæ gentis virtus eſt clara triumphis,
Ordine quos numerant ſecula longa patrum:
Sed fuit huic fontes doctrinæ diſcere cura,
Quam nobis Gnatus tradidit ipſe DEI.
Hoc ad maiorum decus, addidit inclyta facta,
Præbuit & patriæ commoda magno ſuæ.
Eſdras ceu quondam populo ius dixit, & idem
Interpres Solymæ legis in vrbe fuit.
Principis hic munus ſimul & Paſtoris obiuit,
Ipſius & mentem rexit & ora DEVS:
Iuſtificaq́ fide capiens tua munera CHRISTE,
Solius eſt cuius parta cruore ſalus.
Vera luce DEVM *agnouit, precibusq́ vacauit,*
Numinibus fictis mens inimica fuit:
Nec virtutum vmbras habuit, ſed pectora vexit,
Ipſa DEI *viuens adſimilata λόγος.*
Vrbibus in multis, fluuius quas alluit Albis,
Et quas cærulei præterit vnda Salæ:

Agmina

Digitized by Google

Agmina collegit CHRISTVM *celebrantia: ſpargens*
Pura Euangelij ſemina voce ſua.
Fidus & ætati venienti teſtis vt eſſet,
De CHRISTO *patria publica ſcripta dedit.*
Hic frater lacrymans Ioachimus condidit oſſa,
Viuit in aſpectu mens fruiturq́ DEI.
O DEVS, *Aſcaniam ſtirpem rege, Numine ſerua:*
Nulla venit nobis, te inſidiante, ſalus.

Phil. Mel.

Aliud.

Aſcanio Princeps de ſtemmate nate Georgi,
Inter ſidereos gloria rara patres:
Tu CHRISTVM *ſcriptiſq́ doces, tu voce fateris,*
Tu celebras docto per ſacra templa ſono.
Extant & meriti monumenta ſalubria tanti:
O rarum ſacri Principis ingenium.
Aſſyrium, tumbam circum, tibi ſpiret amomum,
Creſcat, & in tepido Coſtus eoa ſolo.

Geor. Fabric.

Maurici Ducis Saxoniæ Electoris ob.
An. 1553. æt. 33. elect. 6.

Hic tuba terribilem ſonitum rauco increpet ære,
Et fragor & clangor Martia buſta iuuat:
Mauritius ſitus hic: rurſum da buccina cantum,
Ingemina ſtrepitus, claſſica pulſa ſonent,
Illuſtres animas honor hic, & ſaxa virorum
Arma quibus nomen grande dedêre, decet.
Hic claros fatis, Diuum Electoris honores
Saxonici, magno Cæſare dante, tulit.
At fuerit quantus ſæui certamine Martis,
Senſerunt hoſtes Theutonis ora tui.

Senſerunt

201
Digitized by Google

Senſerunt Galli pugnacis lilia, vaſtans
Nec non Germanos miles Iberus agros,
Boſphorus huius adhuc, gelidaq́; Propontidis ora,
Nunc etiam nomen corde micante tremunt.
Nullus ad extremum felix bellator, & armis
Egregijs Mauors inuidet ipſe viris.
Ergò cadit pugnans, & qui iam vicerat hoſtes,
Sulphureo telo læſus ab hoſte perit.
I, nunc magna para, & claros molire triumphos,
Obruit & fati vis inopina Deos.

Adam Siber.

Iohannis Friderici Nati Electoris Sax. ob. An. MDLIV.

ERgo patris Dux, & patrui qui nomen habebas,
Maxima Saxonici fama decusq́; ſoli:
Ergo tibi quoq́; tàm ſubitò fatalia nentes
Fila Deæ fuſos euoluère ſuos?
Non te maior erat quiſquam pietate fideq́;,
Quà videt Arctoum Theutonis ora polum.
Gratia te Chriſti reddentem iura regebat,
Ereptas nemo vi ſibi fleuit opes.
Hoſtis eras fraudum, pietatis nomina falſo
Quæ præfert hoſtis relligionis eras.
Quod colit exploſo Papa Germania CHRISTVM,
Annè negare poteſt muneris eſſe tui?
In nos armaſſet cum magni Cæſaris iram,
Cacus Auentini peſtis acerba iugi:
Pro ſacris pugnans, pro libertate, laboris
Heu tua quàm virtus præmia dura tulit?
Victus es inſidijs & captus tempore luſtri,
Iuſſus & à patrijs exul abeſſe locis.

Nemo

Nemo tuo bonus eſt caſu lætatus: & Albis
Te flerunt auctis Rhenus, & Iſter aquis.
At verò CHRISTVM *quàm forti mente profeſſus,*
Tum fueris conſtans in grauitate tua,
Solis ab occaſu, Solis memoratur ad ortum,
Omnibus & ſeclis fama loquetur anus.
Vt medio rupes quæ ſurgens horrida ponto,
Contemnitq́; notos, ſpernit & omne fretum:
Sic non raptus honos, non gratia blanda, minæq́;
Non vis te potuit vna mouere loco.
Hinc maior multo venit tibi gloria laudis,
Clarior exilio famaq́; facta tua eſt:
Quàm ſua victoris ſi ſub iuga colla dediſſet,
Ante triumphantis Cæſar iturus equos.
Illius ergò etiam virtus tua digna fauore,
Neſcia menſq́; doli, ſimplicitasq́; fuit.
Reſtituit te ſponte tuis, tibi factus amicus:
Hoc quantum decus eſt, dux Friderice, tibi?
Exceptus plauſu populi, ſtudijsq́;, marita
Ipſe tuæ claudis lumina cara manu.
Nec mora, vix decimum cùm Sol emerſerat orbem,
Eius ab interitu, tu quoq́; morte cadis.
Nunc pariter iunctis tumulis requieſcitis ambo,
Illa tua oſſa, tuis illius ipſe teris:
Quæq́; tibi eripuit fortunæ iniuria, reddit
Fænore cum magno iam cumulata DEVS.

Adam Siberus.

Aliud.

IOhannes Frid. Dei benignitate electus Martyr Ieſu Chriſti, Dux Confeſſorum fidei, Princeps afflictorum, Comes veritatis, Signifer ſanctæ crucis, Hæres vitæ æternæ, migrauit ex hac miſerri. vita in cœleſtẽ patriam, Anno reparatæ Salut. M. D. LIV. III. Die Mart. Vinariæ, poſt Sibyllæ Iuliacenſ. coniugis ſuæ de-

Digitized by Google

ſideratiſs. fœminæ ſanctiſſimæ fata, die XI. quinquagenario maior menſibus octo cum triduo.

Friderici Comitis Palatini Rheni Ducis vtriuſq; Bauariæ &c. Electoris &c. qui obijt die XVI. Februarij, An. Domini 1556.

ERgò iaces hominum defunctus tu quoq; fatis,
Fama Palatina, Dux Friderice, domus?
At tua facta manent totum victura per æuum,
Iunctaq; cum pulchro Pacis amore fides.

Iac. Micyll. f. 144.

Aliud Eiuſdem.

HVc lachrymas Nymphæ, lachrymas hûc fundite Muſæ,
Heu victus letho, veſter Apollo iacet.
Veſter Apollo iacet, veteris ſtirps clara Palatij,
Auxit qui veſtras pacis amator opes.
Huic igitur lachrymas, lachrymas hûc fundite Nymphæ,
Numinaq; amiſſum flete nouena ducem.

Iac. Micyll. f. 144.

Aliud Eiuſdem.

QVanta igitur vis eſt, quanta eſt tua Parca poteſtas?
Vno quæ violas ſacra, prophana, modo.
Nempè tuo imperio Friderici corpus ademptum
Morte, Palatinos conditur inter auos.
At virtus manet, & geſtarum gloria rerum,
Iunctaq; cum pulchro Pacis amore fides.
Nulla igitur vis eſt, nulla eſt tua Parca poteſtas,
Quæ meliora ſinis ſtare, caduca rapis.

Iac. Micyll. f. 144.

Caroli V. Imperatoris. ob. A. 1559.

CArolus Auſtriacæ gentis lux maxima Cæſar,
Quo longo maior tempore nemo fuit.

Contuſos

Contuſos forti religauit compede bello,
Liligerum Gallum Clauigerumq́, Papam.
Intulit arma Getis, acres domuitq́, Sicambros,
Diſcinctosq́, iugum ferre coegit Afros.
Ante triumphantis pauido Germania collo
Infelix iſſet, quàm propè ſerua rotas?
Quid fit? nemo armis potuit quem vincere, vicit
Cuncta domans atra Mors truculenta manu.

Adam Siberus.

Ferdinandi Imperatoris, ob. An. D. 1564.

DIſceptant de te Cæſar duo regna ſepulto,
Adſerit Auſtria te nec minus eſſe ſuum.
Caſtiliæ regnum natales vindicat ortus,
Amplexu exanimum terra Bohema fouet.
Dic cælo delapſa anima hûc, cæloq́, recepta,
Quæ referat litis terra trophæa ſuæ.
Sic ego: ſic tenues vox eſt audita per auras,
Vox, animi patrij quæ monumenta gerit.
Huius & huius eram viuus, ſed & illius: hinc &
Mortuus illius, huius & huius ero.

Aliud.

CAſtilia exſultat nato, flet mœſta peremto
Auſtria, triſtatur Boiemia grata ſepulto.
Naſcenti cunas Mondina, Vienna feretrum
Præbuit exſtincto fatis: dat Praga ſepulcrum.

Aliud.

HOc caput imperij & rerum ſuprema facultas
Fernandus tumulo flebilis vmbra iacet.
Cæſare natus auo, germano fratre Monarcha,
Imperiale decus Cæſar & ipſe tulit.
Quin etiam nato ſceptrum ſublime reliquit,
Qui patris & proaui fert diadema ſui.

203
Digitized by Google

Cedite fucato celebres ſplendore triumphi:
Vincitur hoc vno Caſare veſter honor.
Qui maria & terras fama & virtute repleuit,
Occubitu factus clarior aſtra colit.

Ioan. Cropac.

Aliud.

FErdnandus frater moriens qua Carolus ipſi
Dat nato regni ſceptra tenenda ſuo,
Et triſti ad fratres conſumtus tabe recedit,
Auſtriacum quorum ſanguine ſurgit honos.
Maxime, Dij faciant, nomen virtute parentis
Et proaui cumules, Aemiliane, tui:
Quo felix ſit te Germania Caſare, legum
Iuraq́ ſub CHRISTI *maximus Orbis eat.*

Adam Siberus.

Aliud.

FErnanDVs CaſarCaLeſtI ſeDe reCeptVs,
Longè Is terrena ſpe pot Iora CoLIt.

Ioh. Cropac.

Wolfgangi Principis Palatini Bipontini,

ob. M. D. LXIX. Meiſenheimiæ.

WOLFGANGVS PALA. RHENI. LVDO. PALA. ET D. ELISABETHAE LANDGRA. HASS. F. RVPERTI IMP. RO. ATNEP. PRINCEPS IVSTITIA FORTITVD. ET LIBERALITA. INCLYTVS. PROVINCIAS SVAS OPT. LEGIB. ET HONESTISS. DISCIPLINA AN. XXVI. REXIT. PVRAM EVANGELII DOCTRINAM TEMPORE PERICVLOSISS. CONFESSVS ET TVTATVS EST. ECCLESIAS SVAS IDOLOLATRIA PAPISTICA ET ALIIS SECTIS ABOLITIS RECTE DOCERI CVRAVIT. SCHOLAS LAVING. ET HORNBACH. CONSTITVIT. MAX. II. IMP. RO. CONTRA SOLIMANNVM TVRCAM CVM F. D. PHILIP. LVDO. SVIS IN HVNGARIAM STIPENDIIS MILITAVIT. VALIDVM GERMAN. EXERCITVM IN GALLIAM VLTRA LIGERIM DVXIT. ET RELIGIO. NOMINE AFFLICTIS OPEM ET TVRBATO REGNO PACEM ATTVLIT. QVA IN EXPEDITIONE APVD LEMOVICES IN PAGO NESSIN FEBRI MORTALEM HANC VITAM PIE FINIVIT III. ID. IVNII. AN. M. D. LXIX. CVM VIXISSET AN. XLIII. MENS. VIII. D. XXII. CVIUS CORPVS MOESTISS.

Digitized by Google

MOESTISS. CONIVGIS D. ANNAE ET FF. D.D. PHILIP. LVDO. ET IOHAN. PIETATE, EX GALL. TERRA MARIQVE DEPORTATVM, ET IN HOC D. LVDO. PROAVI SEPVL. ILLATVM EST. IX. CAL. OCTOBRIS AN. M. D. LXXI.

Aliud.

Wolfgangus iacet hic, pia fidelis
Vindex Relligionis, & piorum
Vltor Chriſtiadum, docent paternæ
Vrbes, templa, ſcholæ, boniq́ mores.
Docet Gallia, cui pios dicauit
Nil parcens ſibi, nil ſuis, labores.
Iſtis pro meritis, DEO, *Duciq́*
Dignas accumula pio ore laudes.

Aliud.

Wolfgangus patriæ laus, Gallia aſylon, & Orbis
Spes, & honos fidei, mortem obit, heu lacrymæ.

Aliud.

ILle Palatina VVolfgangus origine Princeps,
Tranſcendit meritis inclyta facta Patrum.
Nanq́ ſui Procerum clariſſimus extitit æui,
Virtute, & ſummi dotibus ingenij.
Ille repurgatis CHRISTI *pia dogmata templis*
Plantauit, cultus aſſeruitq́ pios:
Iuſtitiaq́ ſuos & Relligione gubernans,
Ditauit ſummis ſubdita regna bonis.
Teſtis ad Auguſti vox edita Cæſaris ora,
Teſtis & hic aris qui viget Ordo nouis,
Teſtis & extremam Confeſſio facta ſub horam
Famaq́, quam celebrem maximus orbis habet.
Gallica cumq́ DEI *coleret pia dogmata pubes,*
Romulidæ abiurans impia Sacra DEI:
Bella & ob id longe pateretur atrocia, contrà
Indultum Regis certaq́ pacta ſui:

VVolfgangum auxilio triſti cum voce vocauit,
Promiſſa poſſet quo duce pace frui.
Ergò pio motus Dux hic ſub pectore Zelo
Audiuit querulas, indoluitq́, preces,
Continuoq́ ſuis, & ſe in diſcrimen adacti s
Ingenti petijt Gallica rura manu.
Auxiliumq́ tulit, non mens rapere ardua regni
Sceptra, ſed oppreſſos aſſerere vna fuit.
Correptusq́ febri, & CHRISTO ſua funera ſoluens,
Morte ſua pacem condidit ipſe pijs.
Illius hoc poſtliminio ſunt oſſa ſepulcro
Cunctorum, heu, mæſtis condita cum lacrymis.
Gallorum columen, Germanæ gloria gentis
Laudibus æternum non moriture vale.

Pan. Cand.

Aliud.

W *Olfgangus iacet hic veteris flos ille Palati,*
Quem ſibi Relligio, & patria, & gemit Orbis ademtum.

Aliud.

F *IDeM pIetatIs en VVoLfgangVs aſſerIt.*

Pan. Cand.

Aliud.

S *pIrItVs æthereas VVoLfgangI MIgrat aD oras,*
Iunxit vbi ſoles Iunius octo tribus.

Ioan Stura D.

Danielis Ranzouij, ob. An. 1569. in Weſtenſe Holſatij.

S *Vecorum iacet hic domitor, terrorq́ pauorq́,*
Spes Charitûm, generis gloria, Martis honos,
Ingenium, pietas, grauitas, facundia, candor,
Cuncta ſub hoc vno marmore clauſa iacent.

Defunctum luget virtus, Rex, patria, fratres,
Sponſa, fides, bonitas, Cypria, Pallas, Hymen.

Maximiliani II. Imp. An. 1576. Octob. 12.

M*Aximus Aemilius, Romanus in Orbe Monarcha,*
Hic moriens poſuit corporis exuuias.
Nominis illius Cæſar, fuit ille ſecundus:
Sed nulli meritis ille ſecundus erat.
Cæſare deſcendens proauo, patruoq́ Monarcha
Cæſare progenitus, Cæſar & ipſe fuit.
Inſuper imperij quoq́ nato ſceptra reliquit.
Quo nullum maius geſſit in orbe decus.

Adam Siber.

Aliud.

A*Lta qVIes praeLVſtre CapVt, qVoD praefVIt orbI,*
SVbrVIt, eXCeLLens VIX tegIt Vrna DeCVs.

Iohan. Cropacius.

Aliud.

A*RCe RatIsbonae profeCtVs In aethera Cæſar,*
Cæſar, aIt fILI, DIVe RVDoLphe, VaLe.

Anonym.

Ludouici Elect. Palat. ob. An. 1583.

E*LeCtor petIIt LVDoVICVs regIa CœLI*
AtrIa, Vt oCtobrIs qVarta ter orta DIes.

Bened. Roſberg.

Eliſabethæ eius vxoris, An. 1592.

M*ArtIs Vt orta DIes bIs qVInta & qVarta TonantIs,*
Aſtra, tVa, ô Heros, ELIſabetha ſubIt.

Idem.

Lautharinæ Kunigundæ matris, An. 1588.

T*Res Erebi furias ne poſthac dicite Vates:*
Addita nam priſcis eſt modò quarta, tribus.

Quod

Quod ſi tres illas à ſe dimitteret Orcus,
Hac illi fuerit pro tribus vna ſatis.

Aliud in Anagramat.

D*Ira in me regnat Circe, Medea, Thais.*

H. S.

Henrici III. Gall. & Polon. regis ob. An. 1588.

S*Peraram vita cunctis exiſſe periclis,*
Riuale regni mortuo:
Cùm me, neſcio quid, tacitam dicturus ad aurem,
Sicarius myſtes necat.
Quiſquis es, interitu, cædis ſcelerumq; miniſtros
Antiſtites caue, meo.

Henr. Fabric. Tab.

Stephani Bathori Poloniæ regis.

STephanus magnus Rex Poloniæ, magnusq; Dux Lithuaniæ, Princeps Tranſſyluaniæ.
Natus anno 1533. 5. Cal. Octob.
Exceſſit 1586. Idibus Decemb.
Regnauit annos 10. Menſ. 7. Dies 12.
Iudicia conſtituit. Liuoniam, Poloniamq; Prouincias recepit. Fines Lithuaniæ latiſſimo Veliſienſi agro adiecto, protulit. Perterritis Mahmete primum, ac deinde Aſchlan, Chereis Tartarorum Chamis, Podoliam pacatiorem cultioremq; reddidit, Amurathem Turcarum Imp. vt Tattare pacem, legatione miſſa, peteret, & Benderia à Koſacis deleta, nil moueret, nouaq; Caſtella finibus imponi pateretur, opinione virtutis pernicuit, continuitque &c. vide Chytræum.

S*TephanVs DeI gratIa rex PoLonIæ, GroDnæ*
VIta pIè DefVngItVr.

Annæ

Annæ Wolfgangi Pr. Palatini vxor ob. 1591. die Annæ. Meiſenheim.

INclita quæ fueram VVolfgangi Principis vxor
Anna, Palatina quem tulit Aula domus:
Heſſiaco Duce nata fui de patre Philippo,
Laus patriæ & generis prima Philippus erat.
Quinq; Duces natos, totidem natasq; ſub auras
Progenui, cari pignora cara tori.
Ex quo mî meus eſt dominus vi mortis ademtus,
Auxilio Gallus venit vt ille pijs:
Hactenus in lacrymis, & luctiſonis lamentis,
Tranſegi vitam ſemper acerba meam.
Me niſi relligio quòd ſolabatur, & omnis
Cura in ſupremo ſpesq; locata DEO.
Is iudex viduis, pater ille eſt pupillorum,
Meq; bonus texit hactenus, atq; meos.
Quo carui ad tempus, rurſus ſum iuncta marito,
Corpore hic in buſto, pectore ibi in Domino.

Pan. Cand.

Wilhelmi Ducis Cliuiæ, Iuliæ, Bergæ, Marchiæ, VVeſtphaliæ & Rauenſpurg. ob. An. 1591.

QVis ſitus hic? Dux Iuliacus, qua ſtirpe parentum?
Cliuorum illuſtri ſanguine cretus erat.
Quæ coniunx? Maria illa fuit, quo ſtemmate? magni
Cæſaris, & diuo Cæſare nata ſoror.
Quid iuuenis coluit? Martem, quid adultior annis?
Pacem, quid ſenior? iuſtitiam atq; DEVM.
Quo morbo perijt? ſenio, cordisq; dolore.
Qualiter? inuicta ſpe, ſtabilita fide,

Digitized by Google

Ergo fuit? viuit pars prima. quid altera? ſurget,
Vnde? ex hoc tumulo. quando? vocante tuba.

Iohannis Caſimiri Ducis Palatini Adminiſtratoris Elector: qui ob: An: M. D. XCII. VI. Ianuarij.

Poſt obitum Ianus iacet hac CASIMIRVS *in vrna,*
Ille Palatinæ gloria Duxq́ue domus.
Gallide qui terra, & Belgio & Germanide terra,
Sincera CHRISTVM *relligione colunt:*
Hos, inimicorum contrà vim, fortibus auſis,
Duris ſe obiectans caſibus, aſſeruit.
Hunc reges, magniq́ue Duces, & Cæſaris Aula
Vexerunt magno ſemper honore Ducem.
Electoratum cum nondum aſſumere quires,
Suſtinuit partes, Dux FRIDERICE, *tuas.*
Atq́ue gubernator felix & ſtrennus illum,
Diuina placidè rexit & auxit ope.
Qui ſi viuus adhuc humanas carperet auras,
Vicinis audax prædo vbi ſæuit agris:
Non ille impune hunc ſineret graſſarier hoſtem:
Aut data pax dudum, aut obrutus ille foret.
Pacis opus læta Muſarum, & Apollinis Artes,
Et Themidos ſanctæ iura piamq́ue fidem
Plantauit patrijs & condecorauit in oris:
Hæreſis hinc petijt barbariesq́ue fugam.
Quod ſi Parca hominum meminiſſet parcere cuiquam,
Ipſa tibi certè parcere debuerat
Salue Heros Iane æternum, Caſimire valeq́ue:
Antè Deum viuis: viuis & ante homines.

Pant. Cand.

Alexan-

Digitized by Google

Alexandri Farneſij Ducis Parmæ Gubernatoris Belgij, ob. An. 1592.

FRancia quem metuit, Belgæ coluère fideles,
Martis honos, nullo conditur in tumulo.
Gloria quæ toto ſe latè fundit in orbe,
Orbem pro tumulo, non locus arctus habet.
Tot domitis Tumulos, victori Belga triumphos
Erige. nam viuit gloria, nec moritur.

Anonym.

FINIS LIBRI SECVNDI.

EPITAPHIORVM LIBER III.

THEOLOGORVM ET ERVDItorum Virorum.

ALberti Magni, qui equeſtris ordinis clariſſimis parentibus Lauingæ natus An. 1293. Philoſophiæ & Theologiæ Doctor & Profeſſor Pariſ. & Coloniæ fuit, & Epiſcopus Ratiſbon. factus, ea poſtea dignitate abdicata, ad otium literarium redijt: ob. An. 1382. æt. 87.

Natura ſi quid te rerum fortè latebat,
Hoc legis in magno, Teutone magne, DEO.

Petrus Bembus.

Aliud.

NAtura has violas, ratio hæc tibi lilia paſſim
Ad tumulum ſpargunt, Teutone magne, tuum.
Purpureis quorum tribulos auellis ab hortis:
Et pulcris violis lilia miſta ſeris,

207
Digitized by Google

Auiaq́, abſtruſa pandis penetralia cauſa,
Verè igitur magni nomine dignus eras.

Iohan. Vitalis.

Aliud.

QVi docuit rerum Albertus cognoſcere cauſas,
Non rerum oblitus iam iacet in tumulo:
Sed cælo meliore ſui cum parte receptus,
Nunc gaudet melius diſcere, quàm docuit.

M. Anto. Flamin.

IOhannes Huſſus Bohemus audiuit Ioh. VViclefum Anglum, Magiſter Philoſ. factus eſt Pragæ An. 1395. & Sacerdos templi Bethlehemici An. 1400. Rector ibidem An. 1409. Papæ errores oppugnans in Concilio Conſtantienſi crematus eſt. An. 1415. 6. Iul.

Huſſus ego indignis nunc aſſor ab ignibus anſer,
Contra promiſſam, iuraq́, ſancta, fidem:
Poſt centum cygnus veniet vocalior annos,
Aſſare hanc poterit non ferus ignis auem.

Pantal. Candid.

HIeronymus Pragenſis, artium Magiſter Pariſijs factus, Huſſi collega fuit, eundem in confeſſione & morte animoſiſſimè comitatus eſt. An. 1416. 3. Cal. Iun.

CHRISTVM *conſtanti ſum voce & corde profeſſus:*
Hinc eſt cur ignes ſpernem ego Papa tuos.

Pantal. Candid.

BEſſario Epiſcopus Tuſculanus, Cardinalis Patriarcha Conſtantinopolitanus, in Græcia natus, in Gallia mortuus, in Italia ſepultus eſt: Monumentum ſibi viuens poſuit Romæ ad SS. Apoſtolos.

Τοῦτ' ἔτι Βησσαρίων ζῶν ἄνυσε σώματι σῆμα,
Πνεῦμα δὲ φευξεῖται πρὸς Θεὸν ἀθάνατον.

Lauren-

Laurentij Vallæ.

Romæ in Laterano.

LAurentio Vallæ, harum ædium Sacrarum Canonico, Alphonſi regis, & Pontificis M. Secretario Apoſtolicoq; Scriptori, qui ſua ætate omnes eloquentia ſuperauit: Catharina filio pientiſſimo poſuit. Vixit An. L. ob. An. 1465. Cal. Auguſt.

Nicolai Vallæ.

Romæ.

NIcolao de Valle leg. D. Baſilicæ Principis Apoſtolorum Canonico: Lælius in memoriam dulciſſimi filij poſuit, hic in vita nulli maledixit, ſine voluntate patris nihil fecit, magno & excellenti claruit ingenio: Iliaden Homeri & Heſiodum Heroico carmine in Latinum vertit. Ob. primo iuuentutis flore, maxima omnium mœſtitia. An. 1473.

Rudolphi Agricolæ Friſij, non procul à Groninga nati, ſtuduit is Ferrariæ ſub Theodoro Gaza, Profeſſor fuit Heidelbergæ, obijt Anno 1485.

INuida clauſerunt hoc marmore fata Rudolphum
Agricolam, Friſij ſpemq; decusq; ſoli.
Scilicet hoc vno meruit Germania, quicquid
Laudis habet Latium, Græcia quicquid habet.

Hermolaus Barbar.

Aliud.

ΤΥμβος ἔχει Ῥύδολφον ὅδ' Ἀγρικόλαν περὶ πολλῶν
Εὔλογον ἠδὲ σοφὸν, πνεῦμα πάρεστι Θεῷ.

Ioh. Camerar. Dalburgius,
Præſul Vangion.

Hermolai Barbari Veneti natus eſt. Anno 1459. obijt Anno 1494. ætat. 41.

Romæ in S. Mariæ.

BArbariem Hermoleos Latio qui depulit omnem,
Barbarus hic ſitus eſt, vtraq; lingua gemit:
Vrbs Venetum vitam, mortem dedit inclita Roma,
Non potuit naſci clarius, atq; mori.

Petri Marſi.

Romæ.

QVæ ſola Eloquij ſuperabat gloria, & illam
Perdidimus, tecum vixit & interijt.

Ex monum.

HIeronymus Sauonarola Florentin. Dominicus Concionator, pro religione puriore cum duobus ſocijs ſtrangulatus & crematus eſt, poſtulatu Alex. VI. Pont. An. 1498. æt. 45.

Dum fera flamma tuos Hieronyme paſcitur artus:
Relligio ſanctas dilaniata comas
Fleuit, & ô dixit, crudeles parcite flammæ,
Parcite, ſunt iſto viſcera noſtra rogo.

M. Ant. Flam.

Iani Pannonij Epiſcopi QuinqueEccleſ. Vngar.

HIc ſitus eſt Ianus patrium qui primus ad Iſtrum,
Duxit Laurigeras ex Helicone Deas.
Hunc ſaltem titulum liuor permitte ſepulto,
Inuidiæ non eſt in monumenta locus.

Ex monum.

Ioan-

Digitized by Google

Ioannis Reuchlini.

Stutgardiæ.

ANno CHRISTI M. D. I. ſibi & poſteritati Capnioniæ Iohannes Reuchlin Phorcenſis. S. An. M. D. XXII.

IOhannes Geiler concionatus Herbipoli Baſileæ & Friburgi, pòſt in ſummo templo Argentin. cum ſumma pietatis, ſedulitatis & ſanctitatis laude: ob. 1510. ætat. 76.

Ex Iconib. Reuſneri.

HVldericus Zvvinglius, Zugij in Heluetia natus, An. 1487. Primus in Heluetia indulgentijs Pontif. ſe oppoſuit, occubuit in bello miniſterio ſuo fungens, An. 1531. æt. 44.

Zuinglius arderet gemino cum ſanctus amore,
Nempe DEI *inprimis, deinde etiam patriæ,*
Dicitur in ſolidum ſe deuouiſſe duobus,
Nempe DEO *inprimis, deinde etiam patriæ:*
Quàm benè perſoluit ſimul iſtis vota duobus,
Pro patria exanimis, pro pietate cinis?

Theodor. Beza.

Aliud.

QVi CHRISTO *& patriæ vixit, docuit, vigilauit,*
Pro CHRISTO *& Patria fortiter occubuit.*
Sed quid rettulerit, qua tandem morte necatur?
Cui, dum viuebat, viuere CHRISTVS *erat.*
Zuinglius occubuit, ſed corpore, cætera nunquam,
Nam meliore ſui parte ſuperſtes erit.
Rumpere liuor edax, vita qui perpete CHRISTO
Quiq; bonis manet, haud mortuus eſſe poteſt,
Mors etiam lucro eſt, multo iam fænore mentis
Fortius exurgent ſemina ſparſa piæ.

Anonym.

Iohan-

Iohannis Oecolampadij.

Baſileæ.

D. Ioannes Oecolampadius, profeſſione Theologus, trium linguarum peritiſſimus, autor Euangelicæ doctrinæ in hac vrbe primus, & templi huius verus Epiſcopus, vt doctrina, ſic vitæ ſanctimonia pollentiſſimus, ſub breue ſaxum hoc reconditus iacet: ob. An. 1531. æt. 49.

Aliud.

OEcolampadius ſerena nuper,
Lampas, ade ſacra D E I *coruſcans:*
Qualis limpidiorué, puriorué
Vix vllis micuit lucerna ſeclis:
En mortis iacet obrutus tenebris.
At vobis malè ſit mala tenebra,
Lucis munere quæ breui fruentes,
Eheû, nos miſeros homunciones
Nocte ſic premitis tenebricoſa.
Sed benè hoc cecidit, nigræ ô tenebra,
Quod dum ipſam petitis, mala lucernam:
Laternam tamen obruiſtis vnam,
Laterna vt lateat quidem hic ſepulta,
Ipſa ſed magis emicat lucerna.

Theod. Beza.

Aliud.

CRecopijs quod & ante Solon cordatus Athenis,
Et tibi bellipotens Sparta Lycurgus erat:
Diuinis lubeat rectè ſi legibus vti,
Oecolampadius hoc Baſilæa tibi eſt.

Anonym.

Aliud.

CLara ſacrâ Domini fulgebat lampas in æde,
Oecolampadius tum vbi præco fuit.

Pantal. Candid.

Eraſ-

Digitized by Google

Eraſmi Roterodami.

Epitaphium, quod exſtat Baſileæ in ſummo templo, his verbis.

CHRISTO SERVATORI S.

DES. Eraſmo Roterodamo, viro omnibus modis maximo, cuius incomparabilem in omni diſciplinarũ genere eruditionem, pari coniunctam prudentiâ poſteri & admirabuntur & prædicabunt: Bonifacius Amerbachius, Hiero: Frobenius, Nic. Epiſcopius, Hæredes, & nuncupati ſupremæ ſuæ voluntatis vindices: Patrono optimo, non memoriæ (quam immortalem ſibi editis lucubrationibus comparauit, ijs tantiſper, dum orbis terrarum ſtabit, ſuper futuro, ac eruditis vbiq; gentium colloquuturo) ſed corporis mortalis, quo reconditum ſit, ergô, hoc ſaxum poſuêre. Mortuus eſt, IIII. Eidus Iulij, iam ſeptuagenarius. anno à CHRISTO nato. M. D. XXXVI.

SAXO SEPVLCHRALI HÆC INSVNT.

ERaſmum Roterodamum amici ſub hoc ſaxo condebant, quarto Eidus Iulias. Anno M. D. XXXVI.

Aliud.

DESID. ERASMVS ROTERO. BATAVVS
NATVS ANNO M. CCCC. LXV.

SVb Alexandro Hegio Doctore primis ſtudiorum Dauentriæ poſitis rudimentis: Colophone dein Louanij & Cantabrigiæ & Bononiæ feliciter impoſito: S. Theologiæ Doctor Taurini creatus: Ob incomparabilem in omni diſciplinarum genere eruditionem, & inexhauſtam ingenij vbertatem, pari coniunctam eloquentiâ & prudentiâ: Quam immortalem ſibi editis lucubrationibus innumeris comparauit, ijs tantiſper, dum orbis ſtabit, ſuperfuturus, ac eruditis vbiq; gentium collocuturus: à ſummis Pontificibus, Cæſaribus, Regibus, atq; Principibus orbis Chriſtiani ſummè expetitus atque honoratus.

Digitized by Google

PHÆNIX GERMANIÆ.

O Mnibus modis vir maximus: & ob ingenij morumq; ſuaui tatem verè ἐράσμιος, ac planè potius Deſiderius. Obijt ſeptua genarius Baſileæ, cuius ille hoſpitio vrbis inprimis maturâ ætate delectatus fuerat. Anno M. D. XXXVI. Eid. Iulias.

Icon. Reuſneri.

Aliud.

E Ximium fato functum lugemus Eraſmum,
Hoc duce qui Muſis addita turba ſumus.

H. Eobanus Heſſus.

Aliud.

T Vné etiam moreris? ah quid me linquis Eraſme
Antè, meus quàm ſit conciliatus amor?
Tuné etiam? cui tàm paruus fuit orbis, vt altis
Expleres mentis flumina torua tua.
Ergò ſidereis poſtquàm eſt ſubducta quadrigis,
Atq; DEI *læto lingua recepta ſinu:*
Ille ego, qui inſanæ ridebam vulnera mortis,
Conditaq; Aetnæa tela triſulca manu:
Ad quoduis ſtupeo momentum, ac territus adſto,
Maxima cùm videam numina poſſe mori.

Iulius Cæſar Scaliger.

Aliud.

P Erdidit ereptum Muſarum munus, Eraſmum:
Perdidit heu quantum Teutona terra decus?
Quo moriente ferunt varios ceſſaſſe liquores:
Et tremuiſſe altis totum Helicona iugis.
Nemo roget cauſam, quam veſper nouit & ortus,
Cuius erit teſtis neſcia fama mori.

Ioan. Stigelius.

Aliud.

D Efunctus vitâ, longiq; laboribus æui,
Hac ſitus eſt tandem doctus Eraſmus humo:

Quem

Quem licet in ſera rapuerunt fata ſenectâ,
Et vita ſaturum ſepijt alta quies:
Nos tamen hunc velut immaturo funere raptum
Flemus, & effuſis diffluimus lacrymis.
Ille igitur perijt: & quondam illa illa diſerta,
Et dulci manans pectore lingua tacet,
Ingeniumq́; ſagax & amans virtutis & æqui,
Omnia ſub paruo condita ſunt tumulo.
Illum igitur canos virtus lacerata capillos
Et Charites lugent, luget & ipſa fides.
Collectasq́; roſas Permeſſi ad flumina Nymphæ
Inſpergunt ſacro Pierides tumulo.

Ioan. Secundus

Aliud.

Magnus Roterodamus ille noſter,
Hac quo ſecula neminem tulerunt
Maiorem, neq́; priſca clariorem
Norunt tempora, nec cui futura
Parem poſteritas habebit: ecce
Sub hoc marmore mortuus quieſcit.

Gilbertus Cognatus.

Aliud.

Lacrymarum te rogo, iam ſiſte riuulos,
Viator, & dulcem quietem floribus
Orna, Sabæo tumulum flore confouens:
Vixi ſatis: fati peregi tempora:
Non ocio ſed duris me laboribus,
Vnus quo plurimis prodeſſem, ſubdidi.
Sic docta primùm bella geſſi Palladis:
Vt me diurni mirata ſit Germania
Suum me ſæpius Ciceronem dictitans:
Tandem ſacris ſum literis immortuus:

211
Digitized by Google

Hac fata lege ſubire, annón eſt viuere?
Rude donari, niſi forſitan mori putas.

Vitus Coppus.

Aliud.

HOc quanquam tumulo mortale cadauer Eraſmi,
Mors claudis, id fermè eſt nihil.
Non huius virtus, ſpes, fama, ſcientia poſſunt
Claudi: quid, ô Mors, hic habes?

Simon Valbamberus.

Aliud.

POſtquam importuno fato conſumtus Eraſmus
Deſijt humanâ conditione frui.
Romani periêre ſales, periêre lepóres,
Et periêre omnes deliciæ & Veneres.
Et periêre nouem decimâ cum Pallade Muſæ,
Et perijt blandis Gratia miſta iocis,
Et ſic vnius perierunt omnia morte:
O grauis, ô doctis mors lacrymanda viris!

Dipaeus Pyrrhus.

Aliud.

COrpus humo, ſuperis animam det, nomen in æuum
Rex, pietas, virtus, Roterodame, tua.

Ioan. Morellus.

Aliud.

VIuentem quem vix immenſus cœperat orbis,
Clauditur exiguâ Roterodamus humo.
Non armis tantum peperit Germania laudis,
Quantum tu calamo, maxime Eraſme, tuo.

Georgius Fabricius.

Guilhelmi Budæi.

GVilhelmus Budæus Lutetiæ Pariſiorum celebri literarum domicilio natus, & educatus: Cùm græcæ, tùm latinæ linguæ

Digitized by Google

guæ cognitione, omnium non modò Galliæ, ſed totius etiam Europæ longè eruditiſſimus: Ciuilis inprimis ſapientiæ & Iuriſprudentiæ laude celeberrimus: Senator Regius, ſuppliciumq; in Regia libellorum Magiſter: Cùm perennem ſpectaret laudem, & rei familiaris fortunas, honoresq; aulicos, ingenio ſuo & ſperatâ gloriâ multò arbitraretur viliores, ſexaginta amplius annis in ocio literario conſumtis: Ita vt ſummæ eruditionis libro de Aſſe, alteroque in Pandectas edito, ac infinita demum lectione confectis commentarijs, vtriuſq; linguæ, nulli communicata laude, æquales omnes doctrinæ authoritate ſuperaret: Morum prætereà ſanctimonia, & vitæ inculpatæ inſignis innocentia: Piè tranquilleq; vita excedens, abdicatis teſtamento prius omnibus prorſus funeris & tumuli honoribus: Fato functus eſt, noctuque tumulatus. Anno M. D. XL. ætatis LXXIII. XXII. Auguſt.

Icon. Nicolai Reuſneri.

Aliud.

QVi ſanctum ſimul & ſimul diſertum
Exquiris ſapientiæ magiſtrum,
Vltrà quid petis? hic iacet Budæus.

Ianus Vitalis.

Aliud.

BVdæus pater elegantiarum
Ne Galli inuideant, facit, Latinis.

Mat. Gribald.

Aliud.

IVdicio Viues, ſermonis flumine Eraſmus,
Doctrinæ primas laude Budæus habet.

Geor. Fabric.

Aliud.

BVdæus columen decusq; Graiûm,
Budæus Latiæ corona linguæ,
Budæus dubij Lucerna Iuris,
Budæus pater elegantiarum,
Et fons totius eruditionis,

Digitized by Google

Budæus patriæ iubar coruſcum,
Regis delicium ſui ſuæq́;
Tempeſtatis honos, lepos, voluptas,
Hic terræ exuuias reliquit, orbi
Famam, aſtris animam, viator ito.

Ioan. Latomius.

Iohannis Schwebelij, Paſtoris Eccleſiæ Bipontinæ. Ob. An. M. D. XL. XIX. Maij.

Biponti.

Vixit, & hoc templo docuit vir, Lector, honeſtus,
Ioannes Sueblin doctus amansq́; DEI.
Fidus erat monitor facundus, & vltrò modeſtus,
Manſuetus, clemens, mitis & æquanimis,
Sedatus, comis, facilis, totusq́; benignus,
Sermo illi lenis, mens pia, mosq́; probus.
Vitam doctrinæ, doctrinam ſedulò vitæ
Aequabat, nulli non venerandus erat.
Oppetijt magno nuper mærore ſuorum,
Mens cælo, corpus clauditur hac ſub humo.
Aequales vtinam liceat nos ſemper habere
Paſtores, quid enim ſanctius, oro, foret?
Dici felices nunquid ſemperq́; beati
Poſſemus meritò, ſemideiq́; viri.

Iacobus Schorr. Cancellarius Bipontinus.

Hieronymi Aleandri.

Romæ apud S. Chryſogon. tranſ. Tyber.

Hieronymo Aleandro Mottenſi, è Comitibus Landri in Carnia Petræ Piloſæ in Iſtria oriundo, Cardin: Brunduſino. Philo-

Digitized by Google

Philoſoph. & Theolog. Doctori, trium linguar. & aliquot aliarum exoticarum ita exactè docto: vt eas rectè loqueretur, & ſcriberet, mox diuerſis legationibus, pro Sum. Pontificis ad omnes ferè Chriſtianos Principes fideliter & diligenter perfuncto, & ideò in tabem delapſo, quanti humanam miſeriam fecerit, ſequenti diſticho de ſe edito, teſtatum poſteris reliquit:

Κάτθανον οὐκ ἀέκων, ὅτι παύσομαι, ὧν ἐπιμάρτης,
πολλῶν, ὧνπερ ἰδεῖν ἄλγιον ἦν, θανάτου.

Iohannis Ludouici Viuis.

IOannes Ludouicus Viues Valentinus natione Hiſpanus. Sapientiæ illius veræ non humanæ ſolùm, verùm etiam diuinæ, in omni vita ſtudioſiſſimus:

Quam & ſumma cum laude eloquentiæ & virtutis plurimùm illuſtrauit, lucubrationibus de ea editis, & doctè prorſus & accuratè conſcriptis.

Probatus vir induſtria, patientia, labore, animi magnitudine.

Cuius immortalis famæ gloria, idq; meritò, quoad ſapientiæ cultum, in omne æuum

Viuet perpetuo.

Magno ſui deſiderio bonis omnibus relicto. Obijt Brugis Flandror. Anno M. D. XLI.

Icon. Reuſneri.

Aliud.

HOc tegitur Viues tumulo, ſubſiſte viator,
Et preſſo pacis verba precare gradu:
Quin etiam Coſtum, violas, & thuris honores,
Viui da promptâ debita dona manu.
Qui dum ſic verbis rebusq́; exornat ad vnguem,
Per non tentatas maxima quæq; vias.
Noſtra ætas vincit veteres, atq́; omnibus illis
Viuem, quem contra ponere poſſit, habet.

Aliud.

213

Aliud.

PArca ferox Viui, dum vellet, ſcindere filum:
Hos capiti adſiſtens edidit ore ſonos:
Corpore te ſoluam: tua ſed monumenta manebunt:
Namq; horum potui iuris habere nihil.

Anonym.

Simonis Grynæi.

Baſileæ.

D. Simoni Grynæo almæ huius Academiæ Rectori, & laude & memoria ſempiterna, ob linguarum Latinæ, Græcæ & Hebraicæ peritiam, omniſq; Philoſophiæ ad miraculum vſque cognitionem, ob Theologiæ veræ ſcientiam & vſum, digno, monumentum hoc dicatum eſt: ob. M. D. XLI. æt. XLIX.

Aliud.

SImon Grynæus Feringæ Sueuiæ oppido natus An. M. CCCC XCIII. In quo modeſtia, & morum ſuauitas ſingularis, cum pietatis & diſciplinarum omnium exacta cognitione certauit. Magni illius Melanthonis in ſchola Portæ Herciniæ condiſcipulus.

Philoſophiæ Magiſter Viennæ Auſtriæ nuncupatus: Modis omnibus vir laude & memoria, ob linguæ Latinæ Græcæ, Hebraicæ peritiam, omniſq; Philoſophiæ ad miraculum vſq; cognitionem, & ob Theologiæ veræ ſcientiam & vſum digniſſimus ſempiterna. Quas ipſe doctrinas paſſim in Academijs Viennæ, VVittebergæ, Heidelbergæ, Baſileæ multis annis publicè priuatimq; profeſſus eſt: Multis egregiè Latinis & Græcis autoribus ſuo nitori & lumini reſtitutis: Sibi ipſe quidem ſatis longæuus: Licet vigente adhuc ætate mortuus: vtpote cui nihil amplius quod diſceret, ſupereſſe videretur: Cæteris verò intempeſtiuè nimium ereptus, quos ſcilicet, quò plura didicerat, eò docere plura, vir iuuandis aliorum ſtudijs natus, potuiſſet: obijt Baſileæ ex peſte: Calendis Auguſti. anno M. D. XLI. ætatis XLIIX.

Icon. Nico. Reuſneri.

Aliud.

Aliud.

Condita Grynæi tumulo hoc ſunt oſſa Simonis,
Qui tua vicinus flumina, Rhene, videt:
Hic, vbi præteriens Baſileam diuidis Vrbem,
Quo de Danubij venerat ille iugis.
Namq; fuêre huius patria oppida parua Feringæ:
Nunc fama ciuis magna ſed illa ſui.
Heu dolor, hic numen iacet illud Apollinis, & ſunt
Hoc ſacra Muſarum corpora tecta loco.
Nam Grynæe tibi ingenuæ quid defuit artis?
Quæ laus doctrinæ? quiuè honor ingenij?
Quod ſtudium veri? quantus fuit ardor honeſti?
Inprimis ſanctæ qui pietatis amor?
Hæc nos amiſiſſe dole, & lacrymare Viator:
Res caret hac magno publica morte bono.
Tu viuis Grynæe quidem in cæloq; ſoloq;,
Vere ibi, nobiſcum fama decusq; tuum.

Aliud.

Ioachim. Camerarius.

Quaris Simon Grynæus ille quis fuit?
Attende, dicam: magnus ille vir fuit.
Decreta Grammatices nihil nouit minùs,
Quàm Priſcanus: tam propè eloquentiæ
Ciceronianæ acceſſit, vt nemo propius:
Chryſippon exæquauit in Dialecticis:
Non hoc Iopas melius increpuit Lyram,
Numeri ſcientiâ τὸν αὐτὸν rettulit:
Talis Geometer, qualis Architas fuit:
Cognitionem habuit, vt Atlas ſiderum:
De moribus conſimili Ariſtoteli modo,
Diſſeruit, & ſapientiâ cæleſtium:
Non Plinio Phyſice priores detulit:
Non ceſſit Hippocrati medendi indagine:

Fuit alter Aurelius ſacris in literis.
Iam quid ſacræ non attigit Poëſeos?
Quid eſt relatu dignum in hiſtorijs nouis
Et veteribus, ſimulq́ miſcellanijs
In lucubrationibus, quod neſcijt?
Linguis, Paleſtinâ, Latinâ & Atticâ
Non aliter, ac ſermone plebeio vſus eſt.
Sed quid opus eſt multis, fuit planè Hippias:
Aut alter, aut vel præferendus Hippiæ:
Grex diſciplinarum cui paruit omnium:
Quem luget extinctum meritò Cyclopædia.
Sui colit Grynæi quæ tumulum ſacrum,
Vt Apollini huius nominis ſuum nemus.

Ioan. Sapidius.

Aliud.

QVis hic ſit, hoſpes, ſcire vis?
Grynæus ille maximus
Virtutibus, ſcientiâ,
Vitæ probitate, moribus:
Vtraq́ ſub ſolis domo
Pijs amatus omnibus.
Vin plura dicam? Apollinis
Decus fuit cognominis:
Nunc ornat ætheris domos.

Michael Toxites.

Martini Lutheri.

MArtinus Lutherus Iſlebij Mansfeldiæ Comitum natus, Anno M. CCCC. XXCIII.

Primis Magdeburgi & Iſenaci imbutus literis, Magiſter Philoſ. creatus Erphordiæ. An. M. D. IIX.

Mox, anno inſequente, quô magis Theologiæ vacaret, Monachus ibidem Auguſtinianorum aſcriptus ordini: quadriennio poſt auſpicijs Friderici Sax. Elect. VVitebergam ad ſacras

ſacras profitendum euocatus literas:

Romam, componendis religioſorum diſſidijs auctoritate ablegatus publica: Sacræ Theologiæ eodem poſt reditum anno Doctor creatus:

Actùm demum Romana inſpecta curia, Orthodoxæ religionis ſtudio inſtaurandæ incitatus maiore diuinitus:

Quam è tenebris in lucem primo productã, An. M. D. XVII. tùm ſcriptis in publicum propoſitis innumeris, tùm libera ſemper profeſſus voce coràm Imperio vniuerſo: Formula tandem fidei Euangelicæ in Comitijs Auguſtæ Carolo V. Imp. publicè exhibita, &ab eo confirmata.

Quem nec Regum aut Pontificum vis vlla, nec Sophiſtarum innumerabilium fraus vnquam vel tantillum terruit.

Seculi ſui Propheta vltimus: Auriga & Currus Iſrael.

Obijt placidè in patria, ipſo d. Concordiæ, ſecum ad cœlum ſubuectæ: die XVII. Febr. An. M. D. XLVI. ætat. LXIII.

Icon. Nic. Reuſneri.

Aliud.

NEc noſtri vidit ſimilem cui temporis ætas,
Nec pietate parem ſecla futura ferent:
MARTINI *placida, poſt fata, quiete* LVTHERI
Membra ſub hoc tumuli marmore tecta cubant.
Obruta Pontificum quæ fraudibus ante latebant,
Eruit hic Princeps dogmata vera DEI:
Vtq́; ſalutifero conſtaret gloria CHRISTO,
Tempore quæ longo penè ſepulta fuit:
Feciſſet quod opum non vlla potentia, caſtra
Nulla quod innumera Martia plena manu:
Ipſe DEI *verbo,* CHRISTO *fidiſſime Paule,*
Doctrina fretus fulminibusq́; tua.
Thesbita exemplo turbauit ſacra Baalis,
Acceptos cultus reſtituitq́; DEO:
Nil neq́; te meretrix veritus Babylonica, diro
Vertice tergeminum quæ diadema geris:

Nec Satanam ſtygijs qui te produxit in antris:
Huic nec ſubiecti totius orbis opes.
Pro quibus in cœlo vitæ felicis honore
Auctus, perpetuæ gaudia pacis habet.
Mox proceres inter ſanctos, in nube coruſca,
Debita cùm CHRISTVS *præmia cuiq; dabit:*
Voce ſua ſectas condemnaturus, & omnem,
Quæ partes Papæ turba ſecuta fuit.
Quod velit eſſe breui, cura quicunq; ſalutis
Tangeris, ardenti voce precare DEVM.

Adam Siberus.

MARTINI LVTHERI VITÆ CVRSVS.

Annus ætatis 1483.

Natus es Iſlebij diuine Propheta Luthere:
Relligio fulget te duce, Papa iacet.

Annus Magiſterij Philoſ. 1503.

Erfurdi iuuenis titulos capit vrbe Magiſtri:
Luſtra ſuæ ætatis quattuor acta colens.

Annus Monachatus, 1504.

Vana ſuperſtitio corpus iuuenile cuculla
Ornat: id omne tibi fraudi, age Papa, fuit.

Annus Profeſsionis VViteberg. 1508.

Mittitur Albiorin, CHRISTO *auxiliante, Lutherus:*
Quantus erat vates, gloria quanta ſcholæ?

Annus Doctoratus, & peregrinationis Rom. 1512.

Staupicij eſt iuſſu titulos Doctoris adeptus:
Vt trucis Italiæ venit ab vrbe Lupi.

Annus Religionis inſtauratæ, 1517.

Relligionis opus cœno extrahis, auſpice CHRISTO:
Verax, ô dextro nixe Luthere, DEO.

Annus Confeſsionis coràm Caietano, Auguſtæ. 1518.

Auguſta CHRISTVM *profitetur in Vrbe Lutherus:*
Non curans vultus, præſul acerbe, tuos.

Annus Diſputationis Lipſicæ, 1519.

Eccius eſt iuſti victus virtute Lutheri:
Diſputat vt Iulÿ, Lipſia in vrbe, die.

Annus Confeſsionis in vrbe Vangionum, 1521.

Cæſaris antè pedes, proceres ſtetit antè potentes,
Accola quà Rheni Vangio littus adit.

Annus Pathmi, 1522.

Carlſtadÿ ob furias ad Saxona tecta cucurrit:
Faucibus ex ſæuis rurſus ouesq́, rapit.

Annus Matrimonij, 1525.

Seditio agricolæ ferro eſt reſtincta potenti:
Fœdera coniugÿ caſta Lutherus init.

Annus Conuentus Marpurgici, 1529.

Marpurgi Cœna CHRISTI *ferit acriter hoſtes:*
Stabat vt à ſæuis cincta Vienna Getis.

Annus Confeſsionis Auguſtanæ exhibitæ Carolo V. Imp. 1530.

Auguſta ſtatibus fidei Confeſſio cunctis
Propoſita eſt: CHRISTI *gloria læta redit.*

Annus obitus. 1546.

Nona bis obſcuro lux Februa conſtitit ortu:
In patrio vt moreris, clare Luthere, ſolo.

Ioan. Stolſius.

Aliud de Eodem.

F *Ortis & extremæ verax ætatis Helias,*
Celſa pius cœli tecta Lutherus habet.

Ioan Stigelius.

Aliud.

Q *Væ genuit, rapuit te ſancte, Isleba, Luthere:*
Cœlo animus fruitur: Leucoris oſſa tenet.

Adamus Siberus.

Epigrammata.

R *Oma orbem domuit, Romam ſibi Papa ſubegit,*
Viribus illa ſuis, fraudibus iſte ſuis.

N iÿ

Digitized by Google

Quantò iſto maior Lutherus, maior & illa,
Iſtum illamq; vno qui domuit calamo.
I nunc Alciden memorato Græcia mendax:
Lutheri ad calamum ferrea claua nihil.

Theodorus Beza.

Aliud.

L*Vtherus Decimum confecit ſtrage Leonem:*
De clauâ noli quærere, penna fuit.

Ioan. Maior.

Aliud.

Magnum decus Pietas & Eloquentia.

T*Eutonidum celebris pietate Propheta Lutherus,*
Theſbites Zelo tertius, orbe ſuo:
Non pius humanis modò traditionibus, auctas
Reſtituit purgans Relligionis opes.
Dùm lucem tenebris prudens ſecreuit, & hoſtes
Confudit ſolitos bella mouêre DEO.
Verum idem docuit patria quoq; gloria lingua
Germanos magnâ dexteritate loqui.
Hinc ingens meruit venturos nomen in annos:
Gloria relligio, gloria ritè loqui.

Ioan. Lauterbachius.

Aliud.

Cœli columnæ ſunt pij precatio.

I*Nterras prono rueret ne pondere cælum:*
Suppoſuit cælo brachia magnus Atlas.
Cum dulci rueret ne Tellus Teutona pace:
Suffulta eſt precibus, magne Luthere, tuis.
Magne Luthere tuis precibus dùm raptus abiſti:
Cum dulci tellus Teutona pace ruit.
Doctor Atlas omnis ſincerus vertice mundum
Suſtinet: effundit cum pius ore preces.

Ioan. Lauterbachius.

Aliud.

Aliud.

VNius CHRISTI certare & fidere verbo,
Hæc tua vis ingens, magne Luthere, fuit.
Nemo erat afflictos ſolari mitior illo:
Nemo repugnantes ſpernere maior erat.
Ille malus hoſtis, dum viueret: ille verenda
Bella ſepultus adhuc pro pietate ciet.
Si quæris tumulum, tumulum tibi Leucoris ora
Monſtrat: ſi mentem, mens viget alta DEO.

Georgius Fabricius.

Aliud.

IN ſua conceſſit quo tempore fata Lutherus,
Mortuus eſt puræ relligionis apex.
Mens it ad aſtra, die cui dat Concordia nomen:
Lutherum in cælum qua comitata redit.
Huic quia ſucceſſit lacerâ Diſcordia veſte,
Da populo Eliæ pallia, CHRISTE, tuo.

Ioach. à Beuſth.

Aliud.

SEu lucem Decio virgo Concordia paſſa
Cæſare: Romanis ſeu Dea culta ſacrat:
In cælum quando remigras, diuine Luthere,
Mortuus & ſuperum regna beata colis:
In cælum pariter remigrat Concordia tecum:
Pulſaq; fit comes huic cum Pietate Fides.
Pro quibus hinc toto vis & Diſcordia mundo,
Et cum Bellona regnat Erinnys atrox.

N. Reuſnerus.

Petri

217
Digitized by Google

Petri Bembi Patritij Veneti Cardinalis.

Romæ.

DEO IMM. S.

Et virtuti, ac memoriæ Petri Bembi
Patritij Veneti. S. R. E.
Card: Cuius ingenij, literarum eloquentiæ gloriæ in ſuo ſeculo Princeps
& antiquorum laudibus par:
Gratia autem in ampliſſimo ordine
in moribus probitas, humanitas, liberalitas, ſuprà communem modum ſemper exiſtimata ſunt. Quod de eius
vita hominum iudicium, beata
mors, ſanctiſſimè obita, diuino quoq; confirmauit teſtimonio.

Vixit Ann. LXXVII.
Ob. Anno M. D. XLVII.

Aliud.

O Tuſcæ, ô Latiæ Muſæ decus optime Vates,
Et Venetæ ſcriptor nobilis hiſtoriæ.
Flens tibi purpureos flores, ſpargitq́; recentem
Adriacum pelagus, Tybris & Arnus, aquam.
Et Nymphæ inſcribunt tumulo, hoc miſerabile carmen:
Mors rapuit Bembum, delicias hominum.

Aliud.

EXtincto Bembo Permeſſi exaruit vnda,
Et creuêre amnes Italiæ lacrymis.

Aliud.

MOrte tua eſt auctus lacrymis & Tybris & Arnus,
Bembe: at Caſtalijs aruit vnda vadis.

Aliud

Aliud.

ARuit extincto laurus Parnaſſia Bembo,
Caſtalia & ſubitò mœſta negauit aquas.
Ex Helicone ſimul vox hæc audita: Sorores
Vno, heu, cum Bembo conticuêre nouem.

Aliud.

DElitiæ Bembus Muſarum ad ſidera cantus
Traxit Apollineos, Auſoniamq́ lyram.
Carmine ſat gemino mortales imbuit aures,
Nunc immortales conciliâre iuuat.

Aliud.

INdigetis Genij Bembi quum turba pararet,
Vatum flebilibus ſoluere iuſta modis.
Pro numeris dixit, date ſacra ſilentia Phœbus,
Ne culpa hæc veſtri deterat ingenij.

Aliud.

AVrata, Pariaq́ alij conduntur in vrna:
Sunt hominum Bembo pectora Sarcophagus.

Aliud.

BEmbe iaces, tecumq́ iacent, Tritonia, Muſæ,
Relligio, Charites, Phœbus, Atlantiades.
Sed viuunt potius tecum: nam tempora fœtus
Ingenij poterunt nulla abolere tui.

Aliud.

ERipitur Bembus rebus mortalibus, ille
Bembus amor Charitum, Venetæ flos nobilis vrbis.
Purpurei ſacro decoratus honore Galeri,
Spes hominum ingenti, qui diuitis vbere vicit
Illum Roma ſuis Varronibus orba, ſuisq́
Aequauit Criſpis, mors deniq́ lumina laudem,
Hæc ſumma extinxit lacrymis Farneſius illum,
Atq́ hoc extremo dignatur honore ſepulcri.

Digitized by Google

Aliud.

DIgnum, Calliope, Bembo cane carmen, at ipſe
Do tumulo flores, do cineri lacrymas.
Bembus amor Phœbi, Phœbo quoq; digna locutus,
Hîc ſitus eſt, felix vixit, & occubuit.

Aliud.

ADria Bembe tibi patria eſt: tibi Roma ſepulchrum:
Imperat hæc terris: imperat illa mari.
Egregiè es Tuſca lingua, Latiaq; locutus:
Non hac non vlla dulcius vlla ſonat.
Sunt teſtes Muſæ, Tuſcæ, Muſæq; latinæ,
Magnanimûm Venetum teſtis & hiſtoria.
Nobiliore loco haud poteras naſci, nec obire,
Nec magis ornatè, nec mage dulcè loqui.

Aliud.

HAs Latia violas, tibi Graia hæc lilia Muſa,
Ad tumulum ſpargit, & cineri lacrymas.
Hetruſco hoc ſcribit tumulo lacrymabile carmen,
Te decus Auſonium depereunte perit.

Beatus Rhenanus Seletſtadienſis, ibidem cælibem vitam ſtudijs deditus vixit. ob. 1547. æt. 62.

QVòd nunc illuſtrata ſuis Germania rebus
Naſcitur, eſt noſtri non leue Martis opus.
Quòd veterum purè auctorum monumenta loquuntur,
Acceptum mihi et hoc, qui legit illa, ferat.
Quòd varijs inſcripta notis, & picta figuris,
Patria culta mea eſt, auctor & ipſe fui.
Inde caduca mei pars ſit licet obruta terra,
Parsq; mei cælum, non moritura, colat:
Non humana tamen totus commercia linquo.
Nam partem partes hæ peperêre duæ:

Illa viros doctos linquet: linquetur at ipſa,
Quùm Solocciduo tollet ab orbe caput.
Muſa mei Sapidi me, conſuetudinis ergò
Antiquæ, fecit poſt mea fata loqui,
Iuſsit & incidi ſaxo mea verba perenni:
Vt ſint officij pignus & arra mei.

Ioh. Sapidus.

Matthias Zellius Buceri & Hedionis collega Argentinæ ob. 1548. æt. 71.

Sex et viginti CHRISTVM *docet impiger annos,*
Primus & inſuetum Zellius vrget opus.
Infenſus Papæ, ſcelerumq́ acerrimus hoſtis,
Nec minus & molles ſæuus in hypocritas.
Parte alta nunquam, quos dura premebat egeſtas,
Auxiliatrices deſeruêre manus.
Moribus & vita doctrinam expreſsit, & ipſi
Mors fuit haud aliud, quàm ſopor eſſe ſolet.

Nic. Gerbelius.

Caſparus Cruciger Theologus Witebergæ, obijt ibidem 1549. æt. 45.

Ore, tribusq́ potens linguis, & pectore Caſpar,
Talis adhuc vita quum frueretur erat.
Caſpar ouile DEI *qui rexit, vimq́ luporum*
Reppulit, & iuuit Relligionis opus.
Luſtra ſui nondum bis quinq́ peregerat aui,
Funere ſublatus quum fuit ante diem.
Lucida nunc coràm cœleſti ſede receptus,
Quæ prius ingenium calluit aſtra videt.

Pet. Lotichius.

Aliud.

C*Vi ſacer eſt tumulus?* CHRISTO, *quis condita ſeruat*
Oſſa chorus? Spes & cum pietate Fides.
Quis cubat hic? Cruciger. qua nam monimenta reliquit?
Plurima praſtanti non renuenda viro.
Qualis vita fuit? diuini plena timoris:
Quod munus? populum, CHRISTE, *docere tuum:*
Qua ſtudia? in ſacris libris perferre labores:
Qua mens? digna bono digna pioq; viro.

Geo. Fabric.

PAulus Fagius Tabernis Rhenanis natus, Hebreæ linguæ peritiſſimus, docuit Argentorati, cum Bucero in Angliam conceſſit, ibiq; ſtatim mortuus eſt: An. 1550. æt. 45. cum Bucero exhumatus & crematus eſt: Anno 1560. verò reſtitutus.

IOachimus Vadianus San Gallenſis, Poeta, Mathematicus, Medicus, Geometra, Theologus inſignis, patriæ Conſul. ob. ſenex. 1551.

Tu ciues, Vadiane, tuos, vrbesq; gubernas,
Non tales Vates expulit vrbe Plato.

Geor. Fabric.

MArtinus Bucerus Selectſtadij Alſatiæ natus An. 1491. cui ex Dominicanorum cloaca, Lutheri voce VVormaciæ coràm Cæſare liberè loquentis excito, varijsq; inſidijs poſt appetito, reſtitutam apud ſe Argentina (vt & Vlma) lubens debet Eccleſiam: cuius & eruditionem ſingularem, & zelum pietatis eximium, cum eximia prudentia coniunctum, omnibus ſeculis teſtabuntur, tùm doctiſſimæ ipſius lucubrationes, & in publicis Comitijs diſputationes habitę: tùm pro Eccleſiarum pace, quamuis non felici ſemper ſucceſſu, labores exhauſti. Is igitur Theologus verè Aretius Bucerus, poſt vicennium integrum, quo Argentinæ ſacras literas in Eccleſia & Schola docuit, in Angliam demum profectus, Eduardo VI. religioſiſſ. Rege vocante, Cantabrigiæ

tabrigiæ in Academia Theologiam ſummo cum doctorum piorumq; omnium concurſu, circiter biennium profeſſus. Quum placida morte prid. Kal. Mart. An. 1551. annum æt. agens 61. obijſſet: quinto poſt anno, euerſo poſt Eduardi regis obitum religionis ſtatu, erutus, crematusq;, Anno 1556. martyrij palmam tulit. Quarto rurſus poſt anno, admirabili rerum viciſſitudine, ſub Eliſabetha Regina, iudicio aduerſus innocentem publicè reſciſſo, in integrum reſtitutus Anno 1560.

Icon. Nicol. Reuſneri.

Natales Bucere tuos Germania iactat,
Natalibus felix tuis:
Quis verò & quantus fueris, tua ſcripta loquuntur
Ad littus orbis vltimum:
De vita ſi quis rogitet, Germania dicet
Inuita Bucerum expuli:
Aſt ego ſic pulſum (pia dixerit Anglia) foui
Tandemq́, texi mortuum.
Verùm mox eadem (factum ô immane) ſepulcro,
Flammis cremauit erutum.
Fallor ego, totus terrena fecis, an expers,
Bucere, ſic cælum tenes?

Theod. Beza.

Aliud.

LIs eſt, Germanus fueritnè Bucerus, an Anglus?
Vtraq́; gens cauſam, qua tueatur, habet.
Mundanum celebris fecit Germania ciuem,
Cæleſtem ciuem terra Britanna facit.
At cælum mundo longè eſt præſtantius: ergò,
Conditio melior terra Britanna tua eſt.

Guilielm. Budæus.

Aliud.

ORnauit, docuit, conformauitq́, Bucerus,
Templa, Scholas, Vrbes: eloquio, arte, fide.

Pant. Cand.

Digitized by Google

Eteoſtichon.

CVrrit vt obliquo per piſces tramite Phœbus,
Bucerus felix regna ſuprema capit.

Ioſeph. à Pinu.

Sebaſtiani Munſteri.

Baſileæ.

GERMANVS ESDRAS HEIC
STRABOQVE CONDITVR.
SI PLVRA QVAERIS AVDIES.
SEB. MVNSTERVS INGELHEIM:
THEOLOGVS ET COSMOGR.
INTER PRIMOS SVMMVS
SOLENNEM ASCENSIONIS MEMOR.
ANNO SAL. M. D. LII.
MAIOR SEXAG. MORTE PIA
ILLVSTRAVIT.

CAſpar Hedio Etlingæ natus, Friburgi & Baſileæ opt. art. ſtudijs eruditus, illic Magiſtri Philoſophię, hic Doctoris Theol. nomen adeptus. Ac deinceps vix dum renata in Germ. Euangelij luce Moguntinus Eccleſiaſtes conſtitutus An. 1520. poſt veritatis luce illuſtratus diuinitùs M. Zellio & M. Bucero tunc primum Argentinæ verum inſtaurantib. Chriſtianiſmum, adiutor & collega datus An. 1529. ſummi concionator templi per totos annos 23. fidelis pariter ac diligens, ſummus præterea philiſtor & polyhiſtor fide digniſs. ob. An. 1552. magno ſui deſiderio cunctis relicto.

Icon. Nic. Reuſ.

Seu vis Hiſtoricus, fidei ſeu Doctor haberi,
Magne Hedio, rectè nomen vtrunq́ geris.
Te fidei ſanctæ vocat Argentina fidelem
Myſten: & vocem laudat amatq́ tuam.
Te legit Hiſtoricum Germania tota fidelem:
Quum legit, hiſtoriam laudat amatq́ tuam.

Mortuus

Mortuus vt ſis ergò, ſuperſtes viuis in orbe,
In doctis, hæres ætheris ipſe, libris.

Nicol. Reuſner.

Aliud.

ARgentina tuis, Hedio, pia dogmata templis,
Sincera docuit relligione DEI:
Quémq; tibi pietas ſit, priſcaq; gloria cordi,
Non poteris tanti non meminiſſe viri.

Pant. Cand.

Conradi Pellicani Rubeaquenſ. ob. 1555.

QVa Superum quondam cœleſti ex æthere lingua
Affatus ſanctos eſt Pater ipſe patres,
Exactum callens hanc Pellicanus ad vnguem,
Cumq; DEO *potuit, cum ſuperiſq; loqui.*
Macte vir ingenio: te ſacri interprete libri,
Sunt facti illuſtres iam magis atq; magis.
Hic tua membra iacent, gremio ſed degit Abrahæ,
Spiritus, æterno colloquiturq; DEO.

Pant. Cand.

Philippi Melanthonis Doctorum Phœnicis.

PHilippo Melanthoni ſacrarum literarum ſolertiſſim. & fideliſſimo explicatori, veritatis cœleſtis Patrono in primis ſtrenuo, opt. diſciplinar. & artium cùm inſtauratori, tùm conſeruatori:

Qui omnem doctrinam quaſi vagam & diſſipatam collegit, & ad certam rationem reuocauit.

Viro pietate, ſtudio puræ religionis, ſapientia, virtute, humanitate, benignitate, erga omnes, præſtanti, feliciter & ſanctè mortuo. XIII. Cal. Maij. quùm vixiſſet annos 63. M. 2. D. 2. H. 1.

Academia VViteberg. cui ille totis an. 42. operam nauaſſet H. M. P. C.

VVitebergæ in templo arcis.

Aliud

Aliud ibidem.

VItam fortunasq́ ſuas, ſtudiumq́ laboris,
Quiq́ operâ ſanctam conſilijq́ fidem,
Impendit diuina tuis Eccleſia rebus,
Teq́ pius varia iuuit & auxit ope:
Hac in parte ſibi, poſt mortem, ſtructa Melanthon
Communi in luctu buſta Philippus habet.
Quæ templi foribus magni vicina Lutheri
E regione ſolum, quod tegit oſſa, videt.
Bretta hunc vitales natum produxit in oras,
Bretta Palatini limes amœnus agri,
Vnde propinqua petens adijt bonitate ſuorum
Diuerſo Aonidum templa ſacrata loco.
Ludus cùm puerum accepit Phorcenidos vrbis:
Eytelbergiaci mox Schola Gymnaſij:
Doctrinæ hinc fecit iuuenem alma Tubinga Magiſtrum,
Eximium laudis geſſit vbi ille decus.
Inde triumphator Monachorum Capnio iuſſit
Albidos hanc ripam viſere Saxonici.
Tunc noua, Dux Fridericus, vbi collegia Muſis
Romani fundans Enſifer imperij,
Vndiq́ conductis præſtante laude parabat,
Artis & ingenij reddere clara viris:
Hic ſocio ipſo annis viginti octoq́ Lutheri
VVittembergiacæ res fuit ampla Scholæ.
Quam ſeptem bis adhuc prouexit deinde gubernans,
Fluctiuagam, vt vaſtum per mare nauta ratem.
Heu, tempeſtates quas hic perpeſſus, & ad quam
Sæuos hæc ſcopulos acta carina fuit!
Quantum æterni odij, quantum inuidiæq́ ſuorum
Ingratorum hominum quæ maledicta tulit?
Ipſe tamen quamuis reflantibus vndiq́ ventis,
Directum eſt, retinens vera, ſecutus iter.

Fortia

Fortia nec clamor latrantis pectora turbæ,
Nec vulgus ſtrepitu mouit inane ſuo.
Summa petit liuor: nemo hunc ſuperare niſi ipſe
Poſſet, ſi ſtudijs ocia ſuppeterent.
Iſta ſub obliquo norunt quoq; ſole locati,
Quiq; ſub oppoſito forſitan axe iacent.
Scripta ſed illius memorabilia inter & acta
Plurima, quæ ſolida nomina laudis habent,
Vnum opus eximium eſt, fidei confeſsio ſancta
Ante tuos, Cæſar Carole, lecta pedes.
Languida iam dudum qua CHRISTI *Eccleſia nitens,*
Rurſum audet vultus tollere tuta ſuos.
Concurrant inimici omnes licet vndiq;, hic vnus
Confutare poteſt dogmata falſa liber.
Ac tua nunc terris floret bona fama Philippe,
Viuit & æternum ſpiritus ante DEVM.
Corpus at exanimum tumulo hoc requieſcit humatum,
Condecorant grata quem monumenta Scholæ.
Ille quod expletis ſenio, curisq; grauatum
Sexaginta annis exuit atq; tribus:
Sic: morbo vt paucis niſi debilitata diebus,
Muneris officium fecerit omne ſui.
Atq; olim æthereas veniet reuocatus ad auras,
Integer, & mortis liber ab inde metu.
Sancte vir, & ſalue pater optime, te tua ſemper,
Nos ſoboles merita relligione colet.
Doctrinæ nobis veræ tu Doctor & autor,
Hæc, tua, claræ ætas munera lucis habet.
Salue iterum atq; iterum, tua nos immota manebit
Semper apud memores gloria, nomen, honos.

Ioachim. Camerarius.

222
Digitized by Google

Aliud.

HIc inuicte tuus collega Luthere Melanthon,
Non procul à tumulo conditur ipſe tuo.
Vt pia doctrina concordia iunxerat ambos:
Sic ſacer amborum iunxit hic oſſa locus.

Geo. Sabinus.

Aliud.

FOns latet hoc tumulo, quid quæris amice Viator?
Fons dogmatum piorum, & eloquentiæ.
Si quis ab hoc riuum proprios deduxit in hortos,
Non aureas huic præferat pyramides.
Illius obſtructas doceat Germania venas,
Parem futura non habebunt ſecula.

Ioh. Stigelius.

Aliud.

INclyta quicquid habet ſtudij Germania laudis,
Ingenio peperit, clare Philippe, tuo.
VVitemberga tuum corpus tegit, orbe ſepulcrum
In toto eſt, animam magnus Olympus habet.

Geor. Fabricius.

PEtrus Martyr Vermilius Florentinus, Monachus Auguſtini Canonic. doctiſſimus, cum Iohan. Valdeſio Hiſpano prima Neapoli, ac dein Lucæ inſtaurandi Chriſtianiſmi fundamenta iecit: mox Romæ vſtulandus, Tigurum, Baſileam & Argentoratum venit: poſt in Angliam, & inde Tigurum abijt: vbi obijt Anno M. D. LXIII.

Tuſcia te pepulit, Germania & Anglia fouit,
Martyr: quem extinctum nunc tegit Heluetia.
Dicere quæ ſi vera volent, re & nomine dicent,
Hic fidus CHRISTI (credite) Martyr erat.
Vtq́; iſta taceant, ſatis hoc tua ſcripta loquuntur:
Plus ſatis hoc Italus exprobrat exilium.

Theod. Beza.

Aliud.

Aliud.

HOc tumulo Petrus, tùm re, tùm nomine Μάρτυς
Conditus eſt, CHRISTI *teſtis amorq́ ſui.*
Annum ſi lubeat Domini agnoſcere μῦ ῥῶ
Abijce de Græcis, bis tria & adde, notis.

Conrad. Geſsner.

Aliud.

P etri nomen habet, firmo quia robore CHRISTV *M*
E docuit, ſtabilis qui ſolet eſſe Petr A.
T eſtis erat viuus, ſed nunc monumenta loquuntu R.
R elligio vera quid pietatis habe T.
V rna viri cineres tenet hæc: colit ætheris ἄς *T*
S piritus: illuſtris viuet in orbe labo R.

Ioh. Schoſserus.

Ioannis Bugenhagij Pomerani, Paſtoris Witeberg. ob. 1558. ætat. 73.

COniugis vt ſenio confecti corpus æquatum,
Ipſa ſuis humeris Halcyo grata gerit:
Sic benè promeritum Doctorem Eccleſia curet:
Et leuet ætatis pondera dura ſeni.
Sic tua canicies, Doctor Pomerane, fidesq́,
Sincera, eſt cunctis iam veneranda pijs.
Qui procul externis ſparſiſti fidus in oris,
Pura Euangelij ſemina voce tua:
Ac ceu Baptiſtes agnum monſtrare ſolebat
Aeterno CHRISTVM *de genitore ſatum:*
Tu quoq́, iuſtifica, docuiſti agnoſcere CHRISTVM,
Aeterniq́, Patris ſumere dona, fide.
Fictiliumq́, alias formas tua lingua Deorum
Euertit: Papa quas voluère coli.
Et velut in ſcopulis celſos locat Halcyo nidos,
Hyberni circum quos fremit vnda maris:

P ij

223
Digitized by Google

Sic medio in Pelago felix quoq; Dania, nidos,
Extruxit CHRISTO, *te fabricante, pios.*
Te DEVS *hos inter texit iuuitq; labores,*
Nunc vita functus viuis in arce poli.

Phil. Melant.

Wolfgangus Muſculus Duſanus, Monaſtica vita abdicata, textoris opere victum quæſiuit, poſt Argentinæ, dein Auguſtæ Miniſter Eccleſiæ factus: bello Germa. exul Bernæ docens vitam finiuit. An. 1563. ætat. 66.

Magnum dicere Muſculum puſillum,
Quum ſit auribus inſolens Latinis:
Magnum hunc dicere Muſculum quod auſim,
Quamuis puluere conditum puſillo,
Si cauſam rogitas, viator: audi.
Haud quaquam fuit ille mus puſillus,
(Ipſum ſi lubeat vocare murem,)
Illarum ex numero famelicarum,
Quæ felis rabidos verentur vngues:
Sed qui ipſos potius Catos rapaces,
Quantumuis ſolitos potentiorum
Ipſis cum dominis domos vorare,
Viuus perculit, & ſuo pauentes,
Adhuc nomine territat ſepultus.
Immò quem tremuit quoq; illa rupis
Tarpeiæ arcibus incubans leæna,
Orbis magnanimos vorans Monarchas,
Magnum & dicere Muſculum pigebit,
Quamuis puluere conditum puſillo.

Theo. Beza.

Aliud.

Muſculus hic ſitus eſt, doctrina clarus & ingens:
Nomen in orbe manet: ſpiritus aſtra tenet.

Abra. Muſcul.

Andreas

Andreas Gerardus Hyperius Flandrus, celebris Theologiæ Profeſſor Marpurgi, obijt 1564. ætat. 53.

NOn Hyperis dedit hoc, Hyperi, tibi patria quondam,
Quod Superis potius ducis cognomen ab oris,
Nec tibi ſors olim tribuit temeraria nomen
Andreæ: at ipſa ſuo ornauit te nomine virtus.
Hoc ſancti mores, teneris hoc omnis ab annis
Vita probat, Superum curæ cœloq́; ſacrata.
Ec quis enim melius, quis nam te fortius vno
Tarpeia aggreſſus depellere rupe Tyrannum?
Certius an quiſquam erranti per deuia turbæ
Commonſtrauit iter, ſuperas quod ducit ad arces?
Mactè igitur virtute, Hyperi, quem nec fera totum
Mors domuit, totum nec ſeruant clauſtra ſepulcri:
Quin Superi meliore fouent iam parte receptum.
Altera dum tumulo quæ nunc pars clauſa quieſcit,
Exanimisq́; licet iam cœli ad limen anhelat,
Euigilet felix: & quod tu diceris, illud
Euadas, Hyperi, tum re, tum nomine totus.

Theod. Beza.

Aliud.

FLandrIa qVeM genVIt, HaſſIa noſtra tegIt.

Anonym.

Iohannis Caluini.

IOannes Caluinus Nouioduni Veromanduorum celebri oppido natus. An. M. D. IX.

Lutetiæ primò Philoſophiæ, dein Aureliæ & Biturig: Iuriſprudentię ſimul ac Theologię excultus ſtudijs, Baſileæ totus Hebraicis addictus literis: Italia dehinc à limine ſalutata, patriæ valedicens Galliæ, in Germaniam per Allobroges regreſſus: Ge-

Digitized by Google

neuæ præter ſpem&votum, non modò concionator, ſed & ſacrar. literar. Profeſſor á S. P. Q. G. delectus An. M. D. XXXVI.

Quâ in vrbe Chriſtianam religionem ac diſciplinam Antichriſti iugo liberatam, cum Guil. Farello & P. Vireto primus conſtituit, infinitis cum difficultatibus:

Ob quas deinceps vrbe aliquantiſper excedens, Argentinæ interim Gallicanam conſtituit Eccleſiam. Reſtitutus demum Geneuæ, ſumma omnium voluntate denuò inſtauratam Eccleſiam ac conſtabilitam, totos annos 23. continuos gubernauit.

Commentarijs in ſac. ſcripturã exquiſitis, ac propterea libris permultis dogmaticis maximè de Euchariſtiæ negocio editis Clariſſimus.

Obijt ex phtiſi, vigilijs & ieiunijs immodicis contractâ Anno M. D. LXIV. ætat. LIV. Maij XXVII. die.

Ico. Nic. Reuſneri.

Aliud.

ROmæ ruentis terror ille maximus,
Quem mortuum lugent boni, horreſcunt mali.
Ipſa à qua potuit virtutem diſcere virtus:
Cur adeo exiguo ignotoq; in ceſpite clauſus
Caluinus lateat rogas?
Caluinum aſſiduè comitata Modeſtia viuum
Hoc tumulo manibus condidit ipſa ſuis.
O te beatum ceſpitem tanto hoſpite!
O cui inuidere cuncta poſſint marmora!

Theod. Beza.

Aliud.

TE viuo, Caluine, fuit mihi viuere dulce:
Heu, quàm dulce foret, te moriente, mori!
Et tamen eſt, fateor, grata hoc mihi nomine vita
Quod, tibi quas fundam, ſufficiat, lacrymas:
Viue igitur, Beza, inluctus, tibi vt vſq; perennes
Caluini in tumulum vita miniſtret aquas.

Iunctura

Digitized by Google

Iunctura abſenti donec te rurſus amico,
Mors pariter vitam finiat & lacrymas.

Theod. Beza

Aliud.

QVid blateras, nobis quaſi iam ſit lumen ademtum,
Merſe Erebi nigro, cæce Sophiſta, lacu?
Aureus obſcura nunquam Sol interit vmbra,
Nec mutat rutilas ignea ſtella faces:
Nube licet pura, nebuliſq́ vaporibus atris
Abſcondant radios ille vel illa ſuos.
Ac velut haud letho ſunt occubuiſſe putandi
Quis oculos clauſit lenta ſopore quies:
Sic quoq́ viuit adhuc animo, ſed corpore ſummum
Caluinus placidè dormit adusq́ diem.
Nec tantum viuis modò, ſed quondam quod agebas,
Nunc agis ô magni, maxime preco, DEI.
Nobiſcumq́ hodie loquitur, ſemperq́ loquetur
Spiritus, in ſcriptis qui viget vſq́ tuis.
Clarius & multo ſplendens tua gloria fulget
Luciter Eois, quàm nitet ortus equis.
I procul vmbriſequûm, procul i, nigra turba Sophorum,
Hei nihil ad tenebras lux facit iſta tuas.

Paul. Meliſſus.

Aliud.

PRomiſſam in terram populum deducit Hebræum
Ioſua dux, altâ pace iubetq́ frui:
Hoſtem deuincit, terram partitur, obijtq́:
Officij vt monuit ſedulo quenq́ ſui.
Præſtitit iſta ſuis Caluinus, & aſtra petentem
Spirituum patri reddidit ipſe ſuum

B. Cornel. Bertramus.

Aliud.

Aliud.

EST Itali quiddam Scorti monſtraſſe profuſos
Luxus, & ſordes annumeraſſe vagas.
At nouiſſe dolos, ſimul occurriſſe, animoq́;
Præſenti libros oppoſuiſſe ſacros:
Inde Sophiſtarum nodos ſoluiſſe, breuemq́;
Et veram ad CHRISTVM *propoſuiſſe viam:*
Aeterna in CHRISTO *patris decreta, datamq́;*
Iampridem electis intonuiſſe fidem:
Deniq́; ad illius iuſſa exegiſſe piorum
Et vitam & mores: hoc opus, hic labor eſt.
Hac ſcriptis & re Caluinus præſtitit olim,
Quæ proba vita dedit: mors pia ſancit adhuc.

B. Cornel. Bertram.

Aliud.

PONtificum terror, Romanæ buccina verax
Nequitiæ, & ſanctæ Relligionis amor:
Iucundusq́; lepos, cani venerabilis oris
Gratia, & Hybleo lingua referta fauo:
Doctrina excellens, animi præſtantia, acumen
Mentis, & humani deliciæ generis:
Fortis in aduerſis animus, prudentia conſtans
Inſonteſq́; manus, ſcriptaq́; plena DEO:
Virtutis ſtudium, & toti lux reddita mundo,
Canaq́; honoranda cum pietate fides.
In miſeros non parca manus, pia cura ſuorum,
Et quicquid mores non ſinit eſſe malos:
Demisêre caput, quo tu, Caluine, ſepulcro,
Et tecum (heu facinus) contumulata iacent.
Mentior: æternis etenim te laudibus ornant,
Et ſecum ad ſuperas te rapuêre domos.

L. G.

Iohan-

Iohannis Matheſij.

IOhannes Matheſius Rochlicij in Miſnia natus. An. 1504. Paſtor Eccleſiæ in valle Ioachimica. ob. An. 1565. æt. 51.

Securus recubo hic, mundi pertæſus iniqui,
Et didici & docui vulnera, CHRISTE, *tua.*

Ioh. Matheſius.

Aliud.

QVa matris ſcrutata ſinus nitida ære metalla,
Eruit ex imis Miſnia viſceribus:
Illic verba pio diuina Matheſius ore
Tradidit, hoc præſtans pulchrius officium:
Quò pia relligio ſplendenti eſt pulchrior ære:
Aera ad opes verbi nil rationis habent.
Corpus habet locus hic, animam DEVS, *optima ſcripta,*
Quilibet illius voluit vbiq́, pius.

Pant. Cand.

Paulus Eberus Kitting. Paſtor Eccleſiæ Witeberg. ob. An. 1569. ætat. 58.

REligio, pietas, doctrina, modeſtia, candor,
Dona, quibus fuerat clarus Eberus, erant:
Illius exiguum iacet hoc ſub marmore corpus,
Obuolat in multis gloria magna locis.

Pant. Cand.

IOannis Pfauſeri, Bodamicus. D. Maximiliano II. Imp. à concionib. Præſul demum Eccl. Lauinganæ fideliſs. obijt 1569. ætat. 49.

Cæſaris auguſtas docuit Pfauſerus ad aures,
Præco celebrandi dogmata ſacra DEI:
Quantò maior erat, quem tu, Pfauſere, docebas,
Sacra: alijs tantò tu quoq́, maior eras.

2

226
Digitized by Google

Nunc, vbi diuini ſparſiſti ſemina verbi,
Cuſtodit cineres clara Lauinga tuos.

Pant. Cand.

Michaëlis Hilsbachij, Paſtoris Bipont. obijt 1570. ætat. 88.

VErbi renato lumine,
Michael Hilsbach Grachgous,
Primus quoq; inter cæteros,
Cultum abdicans Papiſticum,
Compluribus fidem ſuam,
Cùm præſtitiſſet in ſcholis:
Fidelis hic præconibus
Symmyſta fidus extitit.
Primùm Scholis: Templis dein
Rectè & piè CHRISTVM *docens:*
Poſtremò Paſtor vt fuit
Denos his annos, piè obijt.

Pant. Cand.

IOannis Brentij, Eccleſiaſtes Halæ, reformandæ ea in vrbe, totaq; Germania, vnà cum Luthero & Melanthone autor, poſt Tubing. Academiæ Commiſſarius & Antiſtes Eccleſiæ, tandem Stutgardiæ Paſtor, colloquijs religioni componendæ adhibitus Auguſtæ, Haganoæ, VVormaciæ, Ratisbonæ, Tridenti, editis ſcriptis plurimis clariſſimus. ob. 1570. ætat. 71.

Bis ſeptem luſtris cùm Brentius addidit annum,
Corporis hic poſuit membra caduca ſui.
Illius in mundo ſemper pia ſcripta manebunt:
Sed pius in cœli ſpiritus arce ſedet.

Leonhar. Engelhart.

Cunmanni Flinsbachij, Paſt. Bipont. ob. 1571.

FLinsbachius CHRISTI *præco, fidusq; Sacrorum,*
Antiſtes Gemini pontis in vrbe fui.

Me com-

Digitized by Google

Me commendauit grauitas, laudemq́ perennem
Iudicij merui dexteritate mei.
Quos potui promtus iuui, ſoliq́ putaui
Nunquam me natum, ceu pecus, eſſe mihi.
Quoddam præſidium lugens Eccleſia, quoddam
Amiſit Vogeſus, me moriente, decus.
Hic placuit, Domino quas cogito ſiſtere CHRISTO,
Inter oues obita morte cubare meas.

Hen. Fabric.

Henrici Bullingeri, Paſtor Eccleſ. Tigurinæ per 43. an. ob. 1574. æt. 71.

Doctrina ſi interire, ſi pietas mori,
Occidere ſi candor poteſt:
Doctrina, Pietas, Candor, hoc tumulo iacent,
Henrice, tecum condita.
Mori ſed abſit illa poſſe dixerim,
Quæ viuere iubent mortuos:
Immò interire forſan illa ſi queant
Subireq́ tumuli ſpecum:
Tu tu illa doctis, tu pijs, tu candidis,
Et non mori certiſſimis,
Tenaci ab ipſa morte chartis aſſeras
Ipſo approbante Numine.
Fœdus beatum: mortuum illa te excitant,
Et tu mori illa non ſinis.
At hunc, amici, cur fleamus mortuum,
Qui viuit alijs & ſibi.

Theod. Beza.

FINIS LIBRI TERTII.

EPITAPHIORVM
LIBER IV.
IVRISCONSVLTORVM, MEDICorum, Hiſtoricor. Poetar. Claror. Viror.

IVRISCONSVLTORVM.

Bartoli.

PEruſij in Franciſcanor. templo, in ſtructura magnifica & ſumtuoſiſſima, in ſublimitate molis extant hæc verba.

OSSA BARTOLI.

Ex monum.

Cini.

CIno eximio Iuriſc. Bartolo Præceptore digniſſimo, populus Piſtorienſis. B. M. P. obijt Anno M. CCC. XXXVI.

Ex monum.

Ioannis Andreæ.

Bononiæ.

RAby Doctorum, lux, cenſor, normaq́ morum
Occubuit fato, proh, diro peſtis in anno.
M. CCC. XLVIII.

Ex monum.

Fran. Baldi Peruſini.

Papiæ.

OBijt Anno M. CCCC. Cæſareæ verus Relligionis honos.

Barto-

Digitized by Google

Bartolomæi Saliceti, Bononienſ.

ob. An. ætat. LXXVII. Romæ.

VIrtuti ſtudeas, bona nec differto, viator:
Sic tua poſt cineres gloria maior erit.

Ex monum.

Aſonis.

TRINITATI. Bonon.

AZoni Iureconſultor. numini. Anno gratiæ M. CC. hîc tumulato in ſepulcro vetuſtate collapſo, ac inter rudera vix agnito Io. Franciſcus Aldrouandus Dictator & conſules Bonon. P. impenſa, conciui ſuo B. M. memoriam P. An. Sal. M. CCCC. XCVI.

Ex monum.

Hulderici Zaſij Conſtantienſis, obijt

M. D. XXXV. ætat. LXXIV.

NOn te mors rapuit, neq; virtus interit vnquam:
Sed tua viuit adhuc gloria, viuit honos.
Nam te Aſcræa ſenem eripuit, cæloq; locauit:
Vt Superum aſſeſſor nunc quoq; iura colas.

And. Alciat.

Aliud.

ZAſius hic ſitus eſt, cuius ſchola Iureperitos
Tot dedit, armatos Tros quot equus Danaos.

VVolf. Hunger.

Andreæ Alciati.

D. O. M. Papiæ.

ANdreæ Alciato Mediolanenſi Iureconſulto, Comiti, Protonotario Apoſtol: Cæſareoq; Senatori: qui omnium doctrinarum orbem abſoluit. Primus legum ſtudia antiquo reſti-

Digitized by Google

tuit decori. vixit annos LVI. ob. prid. Idus Ianu. M. D. L. Franciſcus Alciatus IC. H. B. M. P.

Ex monum.

Henrici Cornelij Agrippæ.

HEnricus Cornelius Agrippa ab Netesheim. Armatæ militiæ eques auratus, Iuris vtriuſq; & Medicinæ Doctor, Carolo V. Cæſ. Aug. à conſilio & Archiuis iudiciarius.

Inter Diuos nullos non carpit Momus. Inter Heroas monſtra quæq; inſectatur Hercules. Inter Dæmones Rex Erebi Pluto iraſcitur omnibus vmbris. Inter Philoſophos ridet omnia Democritus: contrà flet cuncta Heraclitus. Neſcit quæq; Pyrrhias: & ſcire ſe putat omnia Ariſtoteles: contemnit cuncta Diogenes: Nullis hic parcit Agrippa, contemnit, ſcit, neſcit, flet, ridet, iraſcitur, inſectatur, carpit omnia. Ipſe Philoſophus, Dæmon, Heros, Deus & omnia.

Icon. Nic. Reuſ.

MEDICORVM.

Theophraſti Paracelſi.

DIctus is aliàs fuit Bombaſtus ab Hohenheim, nobili familiâ, vtriuſq; Medicinæ Doctor inclitus. Primus nouæ ac Spagiricæ autor Medicinæ, qui dira illa vulnera, Lepram, Podagram, Hydropiſin, arte ſuſtulit mirifica.

Quùm bona ſua in pauperes diſtribuenda collocandaq; ordinaſſet, obiuit diem ſuum An. 1541. ætat. 47.

Valerij Cordi.

Romæ.

VAlerio Cordo Simeshuſio Haſſo, Eurici Medici & Poëtæ filio, morib. ingenio, comitate præſtantiſs. Doctorum omnium admirationem merito, qui naturæ obſcuritatem, & herbar.

bar. vires adoleſcens ſenibus explicuit, quùm expleri cupiditate cognoſcendi non poſſet, perluſtrata Germania Italiam adijt: Venetijs in honore habitus, & Romam ingreſſus, ſubito morbo inter amicorum lacrymas, non recuperabili ſtudior. iactura, florente æuo extinguitur. An. ætat. 29. Anno 1544. 7. Cal. Octob.

Ingenio ſupereſt Cordus, mens ipſa recepta eſt
Cælo, quod terra eſt, maxima Roma tenet.

Hieronymi Bokij.

Hornbaci.

ANno Dom. M. D. LIV. XXI. Febr. Hieronymus Tragos, animæ corporisq; quondam Medicus & Canonicus huius ædis, in Domino IESV obdormiuit. Cuius anima in conſortio beatorum quieſcit. Amen.

TRAGVS LOQVITVR.

Vt Tragus æthereas primum ſum natus in auras,
Cultorem legit me, Medicina, ſuum.
Herbarum primis indagine ductus ab annis,
Germano petij pleraq; teſqua ſolo.
Vt naſci vidi ſtirpes, ita quaſq; notaui,
Eſtq; fides, oculis non niſi facta meis.
Vera mihi debent non pauca nomina plantæ,
Indicio multis vis ſua nota meo eſt.
Quo docui multos Hornbaci Sacra per annos,
Conditus in templo ſum, Fabiane, tuo.

Hen. Fabric. Tabernæ.

Andreæ Veſalij Bruxellenſ.

ARchiatri Caroli V. Imp. qui viſurus Paleſtinam circa Zazinthum. obijt An. 1564. ætat. 50.

Corporis humani qui membra minuta ſecaret,
Veſalio nullus doctior extiterat.

Hic me-

Hic medicis auxit, pictoribus auxit & artem,
Dum ſubit internas, quæ latuêre, vias.

B. Arias Montan.

Aliud.

QVo non arte prior fuit medendi
Aut Aſclepius, aut ſenex Machaon:
Aut magnus Podalirius, medentum
Princeps Veſalius celebriorum,
Dùm morbis, bonus artifex medetur
Cunctis: iam ſibi nec medetur ipſe,
Summus Pæoniæ Magiſter artis,
Fato mortuus heu nimis maligno.

Nic. Reuſ.

HISTORICORVM.

In ripa Benaci lacus.

C. PLINII VERONENSIS HISTORIARVM N. L.
OMNIVM MEMORIAM DEDIT. NEC NON
TCN M. XXXV. CONSKYMACER CR.

Ex monum.

Titi Liuij Hiſtorici.

Patauij.

OSſa caputq́ tuum Ciues tibi, maxime Liui,
Promto animo hîc omnes compoſuêre tibi.
Tu famam æternam Romæ, patriæq́ dediſti,
Hinc oriens, illi fortia facta canens.
At tibi dat patria hæc, & ſi maiora liceret:
Hoc toto ſtares aureus ipſe loco.
T. LIVIVS QVARTO IMPERII. TIB. CAES. ANNO VITA
EXCESSIT: AETATIS VERO SVAE LXXVI.

Ex monum.

Aliud

Digitized by Google

Aliud Patauij.

OSSA

TI. LIVII PATAVINI VNIVS OMNIVM MORTALIVM IVDICIO DIGNI, CVIVS PROPE INVICTO CALAMO INVICTI P. R. RES GESTAE CONSCRIBERENTVR.

Valerij Maximi.

Mediolani.

M. VALERIVS MAXIMVS SACERDOS D. S. I. M. STVD. ASTROLOGIAE SIBI ET SEVERINAE APR. VXORI H. M. H. N. S.

Ex monum.

Blondi Flauij

Romæ.

BLondo Flauio Foroliuienſi, Hiſtorico celeberrimo, multor: Pont. Secretario fideliſs. Blondi quinq; filij, Patri benemerenti, vnanimes poſuêre. vixit. LXXV. an. Anno M. CCCC. LXIII. obijt. Pio P. M. ſibi natiſq; fauente.

Raphaëlis Maphei.

IN volaterrano recubat, qui monte ſepultus
Mapheus, vrbana claruit Hiſtoria.

Ioh. Iac. Boiſſard.

Leonardi Aretini.

Florentiæ.

POSTQVAM LEONARDVS E VITA MIGRAVIT, HISTORIA LVGET, ELOQVENTIA MVTA EST, FERTVRQVE MVSAS TVM GRAECAS TVM LATINAS LACHRIMAS CONTINERE NON POTVISSE.

Ex monum.

228 Digitized by Google

Iohannis Carionis.

HAec tibi poſt obitum ſtatui monumenta Sabinus,
Nominis vt viuat, Cario, fama tui.
Hiſtoriæ quamuis extant operumq́ tuorum
Multa, vetuſtatem quæ monumenta ferent.
Cùm tuus æthereos animus conceperat ignes,
Theſtorides noſtri temporis alter eras.
Sæpè graues belli motus inſtare canebas:
Veraq́ fatidico pectore verba dabas:
Florida langueſcent, dicebas, lilia Galli,
Sentiet hoſtiles captaq́ Roma manus.
Gallus ab Auguſto magnis Iouis alite victus,
Roma triumphato Præſule capta fuit.
Et procul à Scythico ventura Boryſthene nobis,
Agmina Turcarum vaticinatus eras,
Pannona vaſtarunt vicinaq́ regna Tomitæ,
Omnia ſunt noſtris cognita vera malis.
Sed tibi propterea ruperunt ſtamina Parcæ,
Funere ſublatum teq́ dedêre neci,
His maiora latent quæ nos arcana futuri,
Indicio fierent ne manifeſta tuo.
Non tamen Elyſÿs in vallibus vmbra vagaris,
Nec te cæca nigri regia Ditis habet,
Quæ prius ipſe tua ſcrutari mente ſolebas,
Lucida ſub pedibus conſpicis aſtra tuis.

Geor. Sabinus.

Iohannis Funcij.

DIſce meo exemplo mandato munere fungi:
Et fuge ceu peſtem τὴν πολυπραγμοσύνην.

Ioh. Func.

Wolfgan-

Wolfgangi Lazij Viennenſ.
Proſopopœia Viennæ.

VRbes egregias inter & inclitas,
Sublimi ferio ſidera vertice,
Viennaq́ fruor nomine nunc, prius
Quum certum Fabiana
Nomen caſtra darent mihi.
Gaudebam titulo, nec minus alteri
Felici auſpicio ſcilicet indito,
Quod ſucceſſus idem comprobat optimus
Rerum: nam placuit mox
Vt Vindobona dicerer.
Me ciues alij mœnibus optimi
Ornant: ingenij dotibus at meus,
Quas nulla poterunt diruere hinc vices
Rerum, dulcis alumnus,
Doctor Lazius optimus.
Ergò quem genui, quem gremio tuli,
Lucem cui tribui, quem ſimul extuli,
Vt ſcriptis peperit perpetuam ſibi
Vitam, ſic mihi viuens
Vienna dedit hanc ſua.

Ioh. Syluester.

Iohannis Sleidani.
Obijt Argentinæ An. M. D. LVI. ætat. L.

QVos tulerint noſtri pro Relligione labores,
Orſus es æterna poſteritatis opus.

Geor. Fabric.

Aliud.

INgenio magnus, pietate inſignior, arte
Sleidanus facilis dulcior eloquio,

R ij

Vera ſciens, nec vera tacens, & vana peroſus,
Germanæ ſapiens conditor hiſtoriæ:
Per patria, & cara per poſteritatis amorem
Temporis acta ſui ſcripſit, & occubuit.
Ore DEVM, *vt calamo, placida eſt in morte profeſſus,*
Improbe, nec quicquam rumperis inuidia.

Iac. Fabric.

POETARVM.

Neuij Poëtæ.

IMmortales mortales ſi foret fas flere,
Flerent Diuæ Camænæ Neuium Poëtam:
Itaq; poſtquàm eſt Orchio traditus theſauro,
Obliti ſunt Romæ linguâ latinâ loquier.

Ennij Poëtæ.

Romæ.

ASpicite ô ciues, ſenis Ennij imaginis formam,
Heic voſtrum panxit maxuma facta Patrum:
Nemo me lacrumis decoret, neq; funera fletu,
Faxit, cur, volito viuus per ora virûm.

Ex monum.

Pacuuij Poëtæ.

Romæ.

ADOLESCENS TAMETSI PROPERAS,
HOC TE SAXVM ROGAT, VT SE ADSPICIAS,
DEINDE QVOD SCRIPTVM EST, LEGAS.
HIC SVNT POETAE PACVVII
MARCI SITA OSSA
HOC VOLEBAM NESCIVS NE ESSES
V A L E.
D. M.

Ex monum.

Au Per-

Digitized by Google

Au Perſij Poëtæ.

Volaterris ante ædes Leonori.

AV PERSII AEDES
VETVSTATE IAM COLLAPSAS
RESTAVRAVIT.
ANTONIVS LAVRENTIVS
LEONORVS
A PERSIVS
A. F. SEVERVS
V ANN.
VIII. M. III.
D. XIX.

Lucretij Poetæ.

Cæſanæ.

A. Q. LVCRETII HISTORICI AC POETAE CONDITORIS VERISSIMI. CVI OB EXCELLENTIAM INGENII STATVA CONDONATA AC CIVITATI CAESENAE ROMAN: COLONIAE DEDVCTAE IN HOC SACRO MONTE DEDICATO.

Ex monument.

Hypermneſtræ.

EXul Hypermneſtra, precium pietatis iniquum,
Quam fratri mortem depulit, ipſa tulit.

Ouid. Heroid.

Didonis.

PRæbuit Aeneas & cauſam mortis, & enſem:
Ipſa ſua Dido concidit vſa manu.

Ouid. Faſt. 3. & Heroid.

Phyllidis.

PHyllida Demophoon leto dedit hoſpes amantem:
Ille necis cauſam præbuit, ipſa manum.

Ouid. Heroid.

231
Digitized by Google

Caietæ.

HIc me Caietam notæ pietatis alumnus
Ereptam Argolico, quo debuit, igne cremauit.

Ouid. Met. 14.

Homeri Poëtæ.

SMyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Chios, Argos, Athenæ,
Cedite, iam cœlum patria Meonidæ eſt.

Iaco. Sannazar.

Euripidis.

SIſte, quid ipſe velim, rogito, cognoſce viator,
Euripides Tragico carmine clarus homo
Hîc iaceo, iſtud erat, quod te cognoſſe volebam:
Ergò diu felix, care viator, abi.

Plauti Poëtæ.

POſtquam eſt morte captus Plautus,
Comœdia luget: Scena eſt deſerta:
Deinde riſus, ludus, iocusq́, & numeri:
Innumeri ſimul omnes collacrymarunt.

Anonym.

Diogenis Cynici cuius ſignum ſepulturæ appoſitum erat canis.

DIc canis, hic cuius tumulus? canis: at canis hic quis?
Diogenes. obijt? non obijt, ſed abit.
Diogenes, cui pera penus: cui dolia ſedes
Ad manes abijt? Cerberus ire vetat.
Quonam igitur? clari flagrat qua ſtella Leonis
Additus eſt iuſta nunc canis Erigona.

Anonym.

Digitized by Google

Fratris Catulli.

MVltas per gentes, & multa per æquora vectus,
Aduenio has miſeras fratris ad inferias.
Vt te ſupremo donarem munere mortis,
Et mutum nec quicquam alloquerer cinerem.
Quandoquidem fortuna mihi ſeſe abſtulit ipſum,
Heu miſer, indigne frater adempte mihi.
Nunc tamen interea priſco de more parentum
Tradita ſunt triſtes munera ad exequias.
Accipe fraterno multum manantia fletu,
Atq; in perpetuum frater aue, atq; vale.

Ex Corrhæo.

Tibulli.

HIc iacet immiti conſumptus morte Tibullus,
Meſſalum terra dum ſequiturq; mari.

Tibull. 1.

Lygdami.

LYgdamus hic ſitus eſt, dolor huic & cura Neæra,
Coniugis ereptæ cauſa perire fuit.

Tibull. 3.

Amatoris.

— Qui nunc iacet arida puluis,
Vnius hic quondam ſeruus amoris erat.

Proper. 2.

Cynthiæ.

HAc Tiburtina iacet aurea Cynthia terrâ
Acceſſit ripæ laus, Aniene, tuæ.

Proper. 4.

Daphni-

232
Digitized by Google

Daphnidis.

DAphnis ego in Sylvis hinc vſq; ad ſidera notus.

Virgil.

Virgilij.

MAntua me genuit, Calabri rapuêre, tenet nunc
Parthenope, cecini paſcua, rura, Duces.

Virg. in Epigram.

Aliud.

QVi cineres? tumuli hæc veſtigia? conditur olim
Illi hoc, qui cecinit paſcua, rura, Duces.

Ante Neapol. in aditu Cauernæ montis Pan.

Ouidij Naſonis.

HIc ego qui iaceo tenerorum luſor Amorum,
Ingenio perij Naſo poëta meo.
At tibi, qui tranſis, ne ſit graue, quiſquis amaſti,
Dicere: Naſonis molliter oſſa cubent.

Ouid. 3. Triſt.

Aliud.

FATVM NECESSITATIS LEX.

HIc ſitus eſt Vates, quem Diui Cæſaris ira
Auguſti, patria cedere iuſſit humo.
Sæpè miſer voluit, patrijs occumbere terris,
Sed fruſtrà: hunc illi fata dedêre locum.

In finibus Græciæ & VValachiæ.

Boetij.

Papiæ.

MEoniæ & Latiæ linguæ clariſſimus, & qui
Conſul eram, perij, miſſus in exilium,
Et quid mors rapuit? probitas me vexit ad auras:
Et nunc fama viget maxima: viuit opus.

Claudij Claudiani.

Romæ.

CLAVDIO CLAVDIANO V. C. TRIBVNO ET NOTARIOR. INTER CAETERAS INGENTES ARTES PRAE-GLORIOSISS. POETARVM LICET AD MEMORIAM SEMPITERNAM CARMINA AB EODEM SCRIPTA SVFFICIANT: ATTAMEN TESTIMONII GRATIA OB IVDICII SVI FIDEM DD. NN. ARCADIVS ET HONORIVS FELICISS. AC DOCTISSIMI IMPP. SENATV PETENTE STATVAM IN FORO DIVI TRAIANI ERIGI COLLOCARIQVE IVSSERVNT.

Franciſci Petrarchæ.

Arquati.

FR. PETR. PAVL. VALDECVZVS PAT. POEMATVM EIVS ADMIRAT. AED. AGR. QVI POSSESSOR. HANC EFFIGIEM P. ANN. M. D. LXVII. IDIB. SEPT. MANFREDINO COMITE VICARIO.

SVB EFFIGIE.

FRigida Franciſci lapis hic tegit oſſa Petrarchæ,
Suſcipe virgo parens animam, ſate virgine, parce,
Feſſaq; iam terris cœli requieſcat in arce.

M. CCC. LXXIIII. XVIIII. IVL.

Ex monum.

Aliud.

ITalia ſcriptis viuit celeberrimus omni,
Qui nunc Eugenij colle Petrarcha iacet.

Io. Iac. Boiſs.

Iohannis Mirandulæ.

IOhannes iacet hic Mirandula: cætera norunt
Et Tagus & Ganges, forſan & Antipodes.
Roma mihi vitam tribuit: Florentia mortem:
Quis nam alio mallet naſci & obire loco?

Anonym.

S

Digitized by Google

Conradi Celtæ.

Viennæ Auſt.

D. O. M. S.
CON. CELTI PRO. OSTRO
FRANCO POETAE EX
TESTA; POSITVM
V I
V O
ANN. CHRISTI M. D. VIII.
II. NO. FEBRV. VIXIT
ANN. XLVIIII. DIES TRES.

Ex monum.

Alconis.

ALconem poſtquàm rapuerunt impia fata,
Collacrymant duri montes, & conſitus atra eſt
Nocte dies, ſunt candida nigra, & dulcia amara.

Balt. Caſtil.

Scythæ Poëtæ Feltrini.

SCythæ oculos clauſit Phœbus: fleuère Sorores:
Fleuèrunt Charites: funera duxit Amor.

Certaldi.

ET terram & cælum ingenio Certaldus obibam,
Quæq; fuère alijs clauſa, recluſa mihi.

Pet. Bemb.

Longolij.

TE iuuenem rapuère Deæ, fatalia mentes
Stamina, cùm ſcirent moriturum tempore nullo
Longoli, tibi ſi canos ſeniumq; dediſſent.

Pet. Bemb.

Iacobi

Iacobi Sinceri Sannazarij.

in Mergilli.

DA ſacro cineri flores: hic ille Maroni
Sincerus Muſa proximus, in tumulo.

Pet. Bemb.

Antonij Flaminij.

D. O. M.
IO. ANTONII FLAMINII
FORO CORNELIENSIS
DE VTRAQVE LINGVA
B. M. OSSA
M. D. XXXVI. XV. KAL. IVN.

Ex monum.

Helij Eobani Heſſi Poëtæ,

ob. 1540. ætat. 53.

HElius è viuis Eobanus vt exijt Heſſus,
Pierius ſiccis aruit amnis aquis:
Flumina fuderunt oculis manantia Muſæ:
Fleuit & abiecta mæſtus Apollo Lyrâ.
At DEVS *hunc rapuit terris, cœloq́ locauit,*
Cantet vt in CHRISTI *carmina blanda ſinu.*
Donec erunt Muſæ, dùm voluet ſidera cœlum,
Carmine victuro nobilis Heſſus erit.

Ioh. Stigelius.

Aliud.

HOc, Eobane, iaces tumulo, doctrina per orbem eſt
Nobilis, ô ſacri fulgida gemma chori.
Multa tibi debent artes, & plurima linguæ,
Et tibi de Libani vertice palma venit.

Iſaidæ iunctus, plectro modularis eburno:
Quæq; carent, reicis carmina, laude DEI.

Geor. Fabric.

Aliud.

D*Eſine vocales iactare Cayſter olores:*
Deſine Mantoa, qui fluis amnis humo:
Deſine, qui Phrygijs erras Mæander in oris:
Debilis in veſtro flumine cantat olor.
Argutum tenuêre magis Pegneſus & vnda,
Quas Lanus Haßiaci torquet in arua ſoli.
Nec non Tyrigetum Nymphis adamatus Hieras,
Nobile Gymnaſium cuius ad antra iacet.
Non vna contentus aqua reſonabilis ales
In vario dulces edidit amne ſonos.
Dum Danaum Latia memorauit prælia voce,
Prælia Dardanio pernicioſa Duci.
Dum caput attollens ad lucida ſidera cœli,
Diuinum ſacro prodidit ore melos,
Nunc etiam Superum cæleſti ſede receptus
Cantat Ieſſeæ conſona verba Lyræ:
Inter & aligeros cœtus diuina canentes
Obtinet inflexi gutturis arte locum.

Ioh. Schofferus.

Iacobi Mycilli.

S*Cripta per ora volant non tantùm docta Mycilli,*
Aemula carminibus, culte Tibulle, tuis:
Sed quoq; Graiorum Latias de diuite gaza
Auxit opes labor & ſedula cura viri.
Exuuias tenet hic tumulus, mens læta vagatur,
Qua ſacra Elyſium concitat aura nemus.
Et vati Hutteno, Cordo, coniunctus & Heſſo,
Quiſquis & è noſtris nobile nomen habet.

Voce

Voce canit docta laudes & carmina CHRISTO,
Aſpectu fruitur colloquioq́; DEI.

Adam Siber.

Petri Lotichij Secundi.

OSſa ſub hoc tumulo ſacri ſunt condita Vatis,
Lotichij, tener at ſpiritus aſtra colit.
Occubuitq́; nouem decus immortale Sororum,
Maxima Pegaſidum fama ſepulta iacet.
Proh, quantum ingenium, dulcedo quantaq́; morum,
Sedit in illius pectore, nata DEO!
Doctrina & ſtudijs teneris excultus ab annis,
Ingenij fructus mox dedit ipſe ſui.
Ad ter quinq́; ſuos nondum peruenerat annos,
Cùm tibi diſcipulus, docte Micylle, fuit.
Tunc tamen argutos norat conſcribere verſus,
Quales vel Naſo velq́; Tibullus habet.
Poſt vigor ingenij creuit, creſcentibus annis,
Nec contenta ſuo pondere Muſa fuit.
Italia primas illi tribuêre Poëtæ,
Illi viſa vtinam non ea terra foret.
Ceſſit Flaminius conceſſit Cottaq́; palmam:
Multo Caſtalion inferiorq́; fuit.
Hanc præter laudem, fauſto quoq́; ſidere Doctor,
Ille Machaonia clarus in arte fuit.
Amplius haud talem natura effæta Poëtam
Proferet, ad finem nam ruit illa ſuum.
Ergò qui tranſis, tàm docto mollia Vati
Optes fata: breui machina celſa ruet.

Geor. Cracou. I. V. D.

Aliud.

QVem magis arguto raucus capit anſer olore,
Gaudeat inflati verſibus Antimachi.

Nobis Lotichij cordi limata Secundi,
Cultaq́; Germani Carmina Callimachi.
Inuida quantum aberat mors accedentibus annis
Paucis, cum Clio talibus vſa foret:
Lotichio non arte parem, ingenioq́; Poëtam,
Teutonis ora tulit, Teutonis ora feret.

Adam Siber.

Georgij Fabricij Chemnicenſ.

TRiſtibus Aonides, ſimul indulgete querelis,
Fabricius rupit ſtamina, Veſter amor.
Hoc tumulo vitat qui flebilis vmbra labores,
Quo pariter tumulum ſacra Poëſis habet.
Qui, qualis quantus fuerit? tot ſcripta loquuntur,
Extima quæ magno regna ſtupore colunt.
Exuuiæ longùm ſancti ſaluete Magiſtri,
Sit vobis anima, quæ datur, illa quies.

Seb. Schef.

Iohannis Stigelij.

SParge roſis tumulum, flores ſuperingere buſto,
Vranie, & querulis ora reſolue modis.
Qui fuit ingenio, tua gloria, maximus, eheu,
Stigelij lapis hic corpus inane tegit.
Non Venus aut Vinum, non illita melle venena
Solus in illius carmine CHRISTVS *erat.*
Hunc ſunt mirati Rhenusq́; Albisq́;, canenti
Cumq́; Iſtro rapidum Sala repreſſit iter,
Qui tumulum vatis præter nunc lapſus amici
Ceruleas liquidis fletibus auget aquas
Scilicet vna tulit, quod ſecula nulla reponent
O Muſis triſtem peſtiferumq́; diem.

Adam. Siber.

MATHE-

MATHEMATICORVM.

Georgij Peurbachij Mathematici, Præceptoris Ioh. Regiomont. ob. A. 1462. Viennæ.

EXtinctum dulces quidnam me fletis amici?
Fata vocant, Lacheſis ſic ſua fila trahit.
Deſtituit terras animus, cælumq́; reuiſit,
Quæ ſemper coluit liber vt aſtra colat.

Geo. Peurbach.

Petri Apiani ob. A. 1552.

HOs Apianus habet tumulos: da pinguia thura:
Sparge roſas, manes & venerare pios.
Edidit hunc, nequijt qua viuere, Miſnia: ſemper
Præſtantes agitant fata ſiniſtra viros.
Excepit tellus & fouit Norica: claræ
Et famæ docto nomina ferre dedit.
Iura poli, cæliq́; vias & ſidera nouit,
Trinacrio, celebris non minus arte, ſene.
Fata reſignauit, clades inſtare futuras
Pandit, & heu meruit vocis habere fidem.
Nunc cælo poſitus, quæ mente ſolebat adire,
Omnia ſub pedibus lucida ſigna videt.
Tu paſſis luge Germania mæſta capillis,
Arte tibi hac ſimilem non feret vlla dies.

Adam Siberus.

Nicolai Copernici Boruſſi.

MAthematicarum ſtudijs diſciplinarum eruditiſſimus Ariſtarchi potiſſim. Samij paradoxa ſecutus, quum terrā mobilem, Solē in medio vniuerſi immobilē, non tam re & veritate, quam

quam ſpecie quadam, & ſaluandæ doctrinæ ſuæ cauſa, conſtitueret: Reuolutionum tabulis in lucem editis, vnà cum Canone triangulorum. Cætera vir inſigni pietate, virtute, morum humanitate præditus, Moritur Septuagenarius An. M. D. XLIII.

Icon. Nic. Reuſ.

Iohannis Stofleri Iuſtingenſ. obijt Tubingæ, ætat. 80. An. 1532.

HEus, heus, adeſſe te cupit
Rogatq́, ſaxum, vt hoc legas:
Matheſis ecce Principem
Dedit, tulitq́, Sueuia
Vel illa Martia: hoc decus
Sed abſtulit nimis fera hic,
Premitq́, Parca: iam cubant
Vt cernis, oſſa Stofleri.
Precare quiſquis hac abis.

Anonym.

Iohannis Schoneri, obijt Noriberg. 1547. ætat. 70.

ASrrorum motus & fata regentia mundum
Qui norunt, multos Francica terra tulit.
Heſperus at quantò, quàm cætera ſidera, fulget
Splendidior, vultus ſole tegente ſuos:
Tantum præ reliquis caput extulit vnus & alter,
Secula vix maius priſca tulêre decus.
Regius alter erat, cui mens, cognominis vſum,
Et natale ſolum, primaq́, tecta dedit.
Qui procul Auſonia deceſſit in vrbe Iohannes,
Artis ibi ſpecimen quùm daret ipſe ſua,
Alter ab hoc vixit Schonerus, laudibus artis
Non tamen, quàm fuit ille, ſua.

Noſtra

Noſtra quoq; his ducibus peragrarunt lumina cœlum,
Barbarico fuerant quæ viciata luto.
Vtq; ferè extinctam reuocauit vterq; Matheſin:
Sic tantum peperit laudis vterq; ſibi.
Terra tibi quantum Bœotica fortis Orion,
Et Libycæ Atlanti debuit ora ſuo.
Hoc igitur buſto Schoneri membra quieſcunt,
Ipſa adijt, mens, quos viderat ante polos.

Phil. Mel.

Iohannis Marcelli Regiomont. obijt 1552. ætat. 42.

TEmpora Marcellus diſcrimine plena relinquens,
In cœlo æternæ gaudia pacis habet.
At deſiderio lugent ipſius amici
Gymnaſium, ciues patria & orba domus,
Optima pars, & terreni mens ponderis expers,
Viſit cœleſtis ſumma theatra ſcholæ.
Nomina virtutum nullis obitura diebus
Et clarum memori liquit in orbe decus.
Aſt hic relliquias poſuit, quibus excitus olim,
Viua ſub extremo veſtiat oſſa die.

Hen. Moller.

Romæ.

D. O. M. S.
LVCAE GAVRICO GEOPHONENSI
EPO CIVITATEN
OBIIT DIE VI. MARTII
M. D. LVIIII.
VIXIT ANNOS LXXXII.
M XI. D. XXVII.
D.D. SEBASTIANVS BENEINCASA
GEOPHONEN ET OCTAVIANVS
CANIS BONON HAEREDES
EX TESTAMENTO. B. M. P.

T

Raphaelis Vrbinatis Pictoris.

Romæ.

QVod lacerum corpus medica ſanauerat arte,
Hyppolitum ſtygijs & reuocauit aquis,
Ad Stygias ipſe eſt raptus Epidaurius vndas,
Sic precium vitæ mors fuit artifici:
Tu quoq; dum toto laniatam corpore Romam
Componis miro, Raphael, ingenio,
Atq; vrbis lacerum ferro igni amniſq; cadauer,
Ad vitam, antiquum iam reuocaſq; decus,
Mouiſti Superum inuidiam, indignataq; Mors eſt,
Te dudum extinctis reddere poſſe animam,
Et quod longa dies paulatim aboleuerat, hoc te
Mortali ſpreta lege parare iterum.
Sic miſer heu prima cadis intercepte iuuenta
Deberi & morti noſtraq; noſq; mones.

Balt. Caſtilion.

Aliud.

SIc mea naturam manus eſt imitata, videri
Poſſit vt ipſa meas eſſe imitata manus:
Sæpe meis tabulis ipſa eſt deluſa, ſuumq;
Credidit eſſe, mea quod fuit artis opus,
Miraris, dubitaſq;? audito nomine credes,
Sum Raphael, hei mi, quid loquor? immò fui.
Et tamen his dictis, quid opus fuit addere nomen?
Alterutrum poterat cui libet eſſe ſatis.
Nam mea & audito eſt notiſſima nomine virtus,
Et præſtare vicem nominis ipſa poteſt.

M. Ant. Muret. Ciu. Ro.

Aliud.

Aliud.

— timuit quo ſoſpite vinci
Rerum magna parens & moriente mori.

Anonym.

Chriſtiani Egenolphi Typographi Francofort.

CHalcographum noras Egenolphum nomine, lector?
Condidit hoc illum Parca ſeuera ſolo.
Aſt operum & magni ſeries immenſa laboris,
Viuit, & hinc geminos fertur ad vſq; polos.

Aliud.

ΕΝθάδι χριςιανὸς γένος Εγνολφῶν ποτὲ κεῖμαι,
Ε'ν πόλει ὅς πςῶτος τῇ τυπογράφος ἐῆν,

Id eſt.

HIc iaceo Egnolphus, CHRSTI *de nomine dictus,*
Hac qui Chalcographus primus in vrbe fuit.

Iohannis Oporini.

Baſileæ.

OPOROSVS OPORINVS
HEIC SITVS EST
ERGO REQVIESCIT ARION!
DIXISSE PLVRA FAS NEFAST
AN. SAL. M. D. LXIIX. PR. EIDVS IVL.
AETAT. SVAE LX.

Nicólai Epiſcopij.

Baſileæ.

CHRISTO S.

NIcolao Epiſcopio Sebuſiano viro opt. Typographo clariſſimo & Iuſtinæ Frobeniæ Io. F. Matronæ honeſtiſsimæ: Quùm per ſeptem luſtra in ſacroſancto coniugio fortunati vixiſſent, pietate Deum, æquitate homines ſibi conciliaſſent,

Digitized by Google

mortalib. vinculis exolutis: liberi ſuperſtites, par. deſideratiſs. M.C.L.P. Obijt pater ex atrophia æt. ſuæ LXIII. Mater verò cum IIII. lib. ex peſtilentia, æt. LII. v. Kal. Oct. An. M. D. LXIIII.

Viximus vnanimes, CHRISTO *nunc carne ſoluti*
Viuimus, æternum victuri, viuite nati.

Chriſtophori Schramij Bibliopolæ Witeb

SIcut Triptolemum ferunt Poëtæ
Frugum ſemina diſsipaſſe totum,
Et ſparſiſſe manu ſua per orbem:
Sic, qui conditus hoc iacet ſepulcro,
Diſtraxit ſimili modo per orbem
Quicquid Pierius chorus librorum
Herboſi reſidens ad Albis vndam
Typis edidit, ac ſacrauit æuo.
Quin volumina codicesq́; iuris
Magno ſedulus vndecunq́; ſumtu,
Et libros medicæ coëmit artis,
Quos hûc attulit exteris ab oris:
Oris, quas celeri Padus fluento,
Quas & Sequana, quas Garumna, nec non
Bætis, Durius ac Tagus, pererrant.
His ergò meruit perenne rebus
Nomen, poſt obitumq́; conſecutus
Eſt hoc nobile Schramius ſepulchrum.
Quod ne tabida deleat vetuſtas,
Muſæ præſidio ſuo tuentur.

Geor. Sabinus.

Ioſiæ Rihelij ſenioris Tredecemuiri Reipub. Argent. & Academiæ Scholarchæ, ob. An. M. D. XCVII. VII. Mart. ætat. LXXII.

ACcipe conſtantis, ſed flebile pignus amoris,
Chare ſenex, patris ſemper amate loco:

Exiguum

Exiguum hunc tumulum poſui quem mœſtus: vt inde
Cognoſcant nomen ſecula longa tuum,
Ioſiam noſcant: gens cui virtute fideq́,
Ribelidûm haud habuit: vix habitura parem eſt.
Non tu corpus eras ſine pectore: rebus in arctis
Sed tibi vis mentis promtaq́, dextra fuit.
Sinceræ ſtudium pietatis & ardor honeſti:
Rarus amor patriæ, curaq́, Iuſtitiæ:
In te priſca fides, probitas, ſapientia: conſtans
In te ſpes miſeris: auxiliumq́, bonis.
Nunc autem Angelicis exceptus leniter vlnis,
Pergis ad ætherea mœnia celſa domus.
Salue care ſenex: Socer optatiſſime, ſalue:
Accipe & hoc gratum Manibus officium.

Phil. Glaſer, I. V. D.
gener mœſt. F.

Aliud.

DEſeris ergò tuos, pater ô dilecte, nepotes?
Nec noſtros oculos reſpicis, aut lacrymas?
Ah cur, ſi plenus vitæ conuiua recedis?
Non pateris lateri nos quoq́, adeſſe tuo?
Stat tibi parta quies, ſunt cœlica gaudia, ſi te
Ocyus in ſupera cernimus arce, ſat eſt.
En ſparſos crines! en turgida lumina! triſtem
Mentem animi: en labra hæc ſordidulasq́, genas.
Cernis, care pater, noſtris de fletibus vrnam,
Et madida hæc cineri buſta dicata tuo?
Hos tibi libamus: tumulo ſuperaddimus: Hic eſt,
Quo pereunte, omnis ſpecula noſtra perit.

Nepotes cum luctu F F.

Aliud.

COnſilium, pietas, virtus, induſtria, candor:
Ornarunt vitam, clare Ribele, tuam.

Poſtquam naturæ ſoluiſti debita iura,
Nunc eadem illuſtrant hæcce, Ribele, necem.
Laus tua morte caret, Liuor poſt fata quieſcit
Teq́, tuus meritò ſponte tuetur honos.
Non igitur doleo tua funera, Clare Ribele,
Sed doleo nullos eſſe tui ſimiles.

Anto. Scotus.

Aliud.

RIbelij tumulum ſiccis, qui tranſit ocellis,
Vel famæ ignarus, vel male gratus homo eſt.
Conſilij hic plenus, iuſti defenſor & æqui,
Muſis & Patriæ commoda multa tulit.
Flenda tamen patriæ & Muſarum commoda rapta:
Non flendus nigro qui premitur tumulo.
Namq́, ſenem rapiens nil mors dedit atra ſepuchro,
Effoeti præter corporis exuuias.
Fama viri terras: ſed mens ſuper æthera viuit
Lux erepta orbi, lux noua facta polo.

M. Ioſephus Langius P. L. mœrens P.

Laurenti Schmedes Roſtochiens.

HIc iacet Aonidum præclarus in vrbe Senator,
Vernonius gelidas voluit vbi amnis aquas,
Ille ſocer docti venerandus honore CHYTRÆI
Qui decus eſt CHRISTI *Pieridumq́, chori.*
Tollimur è viuis, hæc noſtri meta laboris,
Serius aut citius corpore vita fugit.
At modo qui nitidis coram Laurentius aſtris
Terreno exutus corpore tutus agit,
Illius taciti corpus requieſcat in vrna,
Nec grauis incumbens vrgeat oſſa lapis

Colligat

Digitized by Google

Colligat excitas dum cœlica buccina gentes,
Vt ſua ſint iuſtis præmia pæna malis.

Ioh. Bocerus.

Wolfgangi Candidi Patris Pantal. ob. 1576. æt. 95. in Pezenkirch.

BIs Turca inſultus, rerum mala multa ſuarum
Prolis expertus funera multa ſua:
Sed domino ſemper rebus confiſus in arctis
Suſtinuit forti triſtia quæq; animo.
Quando nouem decies vitam produxit in annos
VVolfgangus iacet hoc Candidus in tumulo.

Pan. Can.

Chriſtophori Hilſbachij ob. 1577.

ACerba quem potente mors tulit manu,
Chriſtophorus hoc iacet ſepulchro Hilsbachius.
Vir eruditus ille & integerrimus,
Iuuenta quo piè inſtituta præſide
Et artibus fuit boniſq; moribus.
Querela triſtis ergò noſtra pectora
Grauiſq; luctus (heu) premuntq; lacrymæ:
Sed has ſinamus acquieſſe lacrymas,
Grauiq; temperemus inde luctui,
Acerba mors rapace eum haud tulit manu
Quia ille vita adhuc vigetq; duplici
Honore, lucidis polorum in atrijs
Beata agit ſuperſtes vſq; ſecula
Et eruditiorum in ore gentium
Pia celebris extat vſq; gloria
Nec ille in hoc iacet ſepulchro Hilsbachius,
Tegi quod ampla mole facta non queunt.

Sed

Digitized by Google

Sub vlla, & ipſa fama & ingenij decus
Vigente ſaxa laude vincit omnia.

Pant. Cand.

Iacobi Kneupelij, ob. 1586. 24. Febr.

IAcobus hic ſubtus iacet Kneupelius,
Huius fuit Landſcriba qui Prouinciæ.
Vir æquitate clarus ac induſtria,
Humanus in confabulationibus,
Magnis & in deliberationibus
Conſultus & grauis, nec in negotijs
Non expeditus, & ſuis in munijs.
Tres filios, tres & reliquit filias,
Quarum Sibylla de priore coniuge,
Eſt cara nupta Pantaleonis Candidi.
Nunc ille cœlo ſancta ducit gaudia,
Multiplices nos hîc premunt moleſtiæ.
Salue parens, ſalue Socer cariſſime.

Pant. Cand.

Sebaſtiani Staëlij, obijt 1596.

FLos iuuenum iuuenis dilecte Sebaſte Staëli,
Ergò parentabit iam mea Muſa tibi?
Spes fuerat, quod eras multos victurus in annos:
Spes abijt, dura (heu) morte peremtus obis.
Vera tibi pietas, vitaq́; modeſtia curæ,
Et ſtudio Muſas demeruiſſe, fuit.
Non amor Aonidum, aut virtus, aut iunior ætas,
Efficit: vt cuiquam parcere Parca velit.

Pant. Cand.

Galli Pantaleonis Fabricij, ob. 1596.

FAbricio genitus Muſarum nobile germen,
Gallus Pantaleon hoc tegit oſſa ſolo.

Ingenium,

Digitized by Google

Ingenium, pietas, doctrina, modeſtia, fati
Neſcia, ſub buſto non potuêre premi.
Parce pater, luctu, fragilem genuiſſe memento,
Poſcit, eum dederat quo tibi iure, DEVS.
Ah quibus ereptus (leto grauioribus) ille
Caſibus ante DEVM, *luce beatus, agit.*
Delicium luges, ſpem præſidiumq́; ſenectæ.
Cuncta DEI *præſtat cuncta repenſat amor.*
Tolluntur patres, natiq́; & cætera fulcra:
Robur vt à ſolo pendeat omne DEO.
Fabriciæ flos ſtirpis obit: ſed viuit olympo
Conſitaq́; æthereis planta vireſcit agris.
Eſt aliquid patriæ ciuem genuiſſe ſaluti,
Te Cœlo ciuem progenuiſſe ſat eſt.
Illa dies veniet, cum quæ, modo rapta, gemiſcis
Reſtituet, fato ſed meliore, DEVS.

Iſaac. Cramerus.

Aliud.

G*Allus Pantaleon iuuenis dùm fata ſubiuit,*
Ille quidem ſanctè, ſed tamen ante diem:
Altius in claras hominum ne ſubuolet auras,
Nominis exciſa eſt viuida penna mei.
Sed quia, Pantaleon, ſuperis iam nomina noſtra
Indigetas, ad quos tu modo, Galle, venis:
Intolerabilis hæc non eſt iactura putanda,
Si celebres vano ſimus in orbe minus.
Felices quorum cœlo ſunt nomina ſcripta,
Non ea lethæis inficiuntur aquis.
Fabricius Vates ſoſpes, pater, oro, tuus ſit:
Aeternat nomen ille tuum, ille meum.

Pan. Can.

Aliud.

Conſilium fallit, ſpes irrita, forsq́; nouerca eſt
Conſilium, ſpes, fors optima CHRISTVS *erit.*
Eſt flos, bulla, ſtupor, fumus funusq́; caducum,
Forma, vigor, ratio, gloria, totus homo.

Pan. Can.

Quatuor Filiorum Pantaleonis Candidi.

Vattuor heu raptos genitricis ab vbere natos,
Hic tumulus, mæſti Pantaleonis habet.
Quid mirum: ſi qui dedit hos, DEVS, *abſtulit idem?*
Sit celebre illius nomen honosq́; DEI.

Pan. Can.

FOEMINARVM.

Olympiæ And. Grundleri vx.

Talis hac tegitur telluris Olympia mole,
Pierios inter fœmina prima choros.
Quæ patriæ quondam cum coniuge ſede relicta,
Ad vada conſedit flaue Sueue tua.
Hic vbi finitimos exercet vinea Francos,
Et iuxta liquidis Mœnus oberrat aquis.
Mox ferus incenſa fureret quùm miles in vrbe
Ferret & hoſtili ſacra, prophana, manu.
Bis ſpoliata bonis, bis ſæuæ proxima morti,
Venit ad hæc Nicri mœnia iuncta vadis.
Addiderat Muſis Græcorum ſcripta Latinis,
Et pariter Lingua docta in vtraq́; fuit.
Naturæ ſpecimen raræ felicis, & vna
Ingenio cunctis anteferenda viris.
Sed neq́; laudis honos retinet, neq́; Gratia Parcas,
Occidit, & longa nocte ſepulta iacet.

Cuius

Digitized by Google

Cuius tu cineri requiem, placidumq́; ſoporem
Optes, ô hoſpes, cætera morte vacant.

Iac. Mycil.

Annæ vxoris Geor. Sabini.

VXor in hoc tumulo Vatis iacet Anna Sabini,
Fœmina non humili quæ fuit orta loco.
Ad celeres Albis patre nata Melanthone ripas,
In quibus Aonidum plectra mouentur, erat.
Vtq́; viros inter doctos pater eminet omnes,
Quo non maius habent tempora noſtra decus:
Sic quoq́; laude ſua matronas inter honeſtas
Claruit, ac tanto digna parente fuit.
Ipſemet infantem tulit ad baptiſma Lutherus,
Quando ſalutifera perlueretur aqua.
Erudijtq́; pijs monitis, vt adulta timeret,
Ac coleret vera relligione DEVM.
Quin et docta fuit, linguaq́; perita Latinæ:
Nam Latio poterat reddere verba ſono.
Nec minus ore decens, & honeſto prædita vultu
(Laudari facie ſi qua meretur) erat:
Annos bis ſeptem florente peregerat æuo,
Legitimi conſors eſt vbi facta tori.
Inde remota procul natalibus abfuit oris,
Cumq́; ſuo vixit coniuge luſtra duo.
Et ſemel aucta fuit tantummodo prole virili,
Natas Lucina quinq́; fauente dedit.
Frigida mors animam placidè ſubduxit & artus,
Pars melior cœlo eſt reddita, corpus humo.

Geor. Sabinus.

241
Digitized by Google

Catharinæ vx. Philippi Melanthonis.

CONditur hoc tumulo Catharina Melanthonis uxor,
Fœmina quæ caſta prædita mente fuit.
Cuius adoptiuum fauſto tulit omine nomen,
Tàm pia quàm Coſti filia regis erat.
Hanc modo conſpectu CHRISTI *cæliq́; fruentem,*
Non ſecus ac illam vita beata manet.

Geor. Sabin.

Apolloniæ Candidæ, matris Pantal.

obijt 1562. ætat.77.

MAtris Apolloniæ, ſacram hanc ego filius vrnam,
Pantaleon, ſtatui, Candidus ipſe, meæ.
Luſtra decem vixit, nec non ſeptem inſuper annos,
Ipſa meo dulcis iuncta marita patri.
Bis ſeptem genuit lecti pia pignora natos,
E quîs Pantaleon vltimus ipſe fui.
Sollicitam pro me geſſit fidiſſima curam,
A latere haud voluit me procul ire ſuo.
Fortè domum redij Albiade Studioſus ab vrbe,
Mater ibi fractis viribus ægra fuit:
Huic ego propoſui è ſacro ſolatia verbo,
Sumq́; Sacerdotis functus honore pij.
Sic placidè in ſanctis ſermonibus obdormiuit.
Salue iterum, atq́; iterum, mater amata, Vale.

Pant. Cand.

Margarethæ Sturzianæ, vx. Pantale.

obijt 1573.

QVisquis ades nullis obſtrictus pectore curis,
Perlege non longa paucula verba mora.

MARG:

M A R G: *Illa ego pars caſtas inter quotacunq; puellas,*
Margaris, hic mæſto contegor in tumulo,
Quam Venus & forma decorauerat, arte Minerua,
Et varijs culti dotibus ingenij.
In primis ſua cui, quod gaudeo, Rector olympi
Contulerat verbi munera ſancta ſui,
Nos ætas mea bis duodenos viderat annos,
Heu mihi flos vitæ fluxit vt ille meæ:
Non pro me queror hoc, ſed Pantaleonis acerbus
Coniugis heu dolor eſt, mî mage morte mea.
P A N T: *Eheu cara iaces, mea ſpes, mea cura, meum cor,*
Erepta ex oculis dulcis amica meis.
Si penſare animas ſinerent crudelia fata,
Et redimi poſſet morte aliena ſalus:
Quantulacunq; meæ debentur fata iuuentæ,
Penſarem pro te, cara marita, lubens.
At nunc, quod poſſum, mærore abſumar acerbo,
Triſtior, vt propero te ſequar interitu.
M A R G: *Parce tuam fletu quaſſare, marite, iuuentam,*
Fataq; mærendo ſollicitare mea.
Flere decet, nec fleſſe iuuat: nam obſiſtere fatis
Nemo poteſt; ſtatuit quod D E V S, *eſto ratum.*
Vel citò vel ſerò mors occupat horrida quemque.
Viximus: hæc dubiæ eſt vnica meta viæ.
Parce, ita non vnquàm ſimilem experiâre dolorem,
Et ſint auſpicijs fata ſecunda tuis.
Quod mihi præripuit mors immatura iuuentæ,
Id tibi victuro proroget vlterius.

Pant. Cand. ex antiquo.

Aliud.

MargarIs, heV, rapta eſt fIDa VXor PantaLeonIs.

24 Digitized by Google

Sibyllæ Kneupeliæ vx. Pantaleonis obijt 1593.

HIc tumulor, nomen quæ ſum ſortita Sibyllæ,
Aemula candoris cretauè nixuè tui.
Cum Gemini pontis concors Antiſtite coniux,
Legitimo vixi bis duo luſtra toro.
Pignora quæ poſt me, natum, natamq́; reliqui,
Me facie referunt ingenioq́; patrem.
Sancta mihi Pietas cordi, rectumq́;, pudorq́;,
Commiſſæq́; fuit ſedula cura domus.
Sed quàm cara viro, lacrymæ, quàm grata propinquis,
Id docet exequijs plurima turba meis.
Parte mei meliore, anima, nunc incolo cœlum,
Et matronales augeo læta choros:
Cui confiſa fui teneris conſtanter ab annis,
Nunc Seruatoris pendeo ab ore mei.
Hîc bona perpetuis indeficientia ſeclis,
Feſtaq́;, quæ demto gaudia fine manent.
Omne fugax terris: vix quæ diuturna putaris,
Dixeris ob paruas, eſſe diurna, moras. Hen. Fabric. D.

Aliud.

HIc recubo ſata Kneupelio quæ patre Iacobo,
Pantaleone fui iuncta marita viro.
Septem pignoribus mecum vnà quinq́; quieſcunt,
Et patri eſt natus filiaq́; vna ſuper.
Iactabar varijs, dum manſit vita, procellis,
Optata his tandem functa quiete fruor.
Forma, pudor, morum integritas, miſeratio egentum,
Quamuis ampla: tamen parua fuêre bona.
Nam maiora meo luxêre in pectore dona,
Sancta fides, pietas, notitiesq́; DEI:

His

His accenſa animo præſtabam ſedula ſemper
Officia, ante homines, officia, ante DEVM.
Cara vale coniux, vos viſcera cara valete.
Quæ ſupereſt expers vita doloris, eat.

Iſaac. Cramerus.

Aliud.

M*Argaris ante mihi fuerat cariſſima coniux,*
Nec mihi tu fueras cara Sibylla minus.
Mors illam rapuit, te nunc eadem rapit: illa
Dimidium me habuit, tu quoq; dimidium.
Illa dimidium periјt moriente, aliudq;
Dimidium periјt, te moriente, mei.
Ergò mei reliquum nihil eſt, niſi ſomnus & vmbra,
Hac quoq; ne pereat, fac DEVS, *vmbra mei.*

Aliud.

P*AntaLeon pLangas qVonIaM, qVa praſtò erat Vxor,*
OCCVbVIt Leto Cara SIbyLLa ſVo.

Aliud.

H*EV Morbo LVXIt, CrVCe & eXCrVCI ata SIbyLLa eſt.*

Pan. Cand.

Chriſtinæ Mariæ Ioh. Tho. Filiæ.

Q*Va ſua de* CHRISTO, *qua de Maria ſua geſſit*
Nomina, dilecti, filia cara, patris.
De Nato vno, et de Matre vna, ea nomina geſſit
Qui ſunt inq; polo præcipui, inq; ſolo.
Illius exuuia hic: gremio mens abdita CHRISI
Cum Maria in cœlo gaudia vera capit.
Cui Mater Natusq; fauet cognominis ille,
Cur ſuus hanc adeo lugeat ipſe pater.
Non amiſſa, ſed eſt præmiſſa ea filia nobis,
Tempus adhuc modicum quando ſequemur, erit.

Pan. Can.

ANTI-

Digitized by Google

ANTIQVORVM EPITAPHIORVM.

Dijs Manibus. Romæ.

Sexti ſalue. Sexti vale.

D. M.

Liuilla æternum parentis infelicis cordolium & deſiderium.

N. N. Geneuæ.

VIXI VT VIVIS
MORIERIS VT SVM MORTVVS
SIC VITA TRVDITVR. VALE VIATOR.
ET ABI IN REM TVAM.

Inſcrip. Antiq. Lipſij.

Defunctus.

Viuite felices moneo, mors omnibus inſtat,
Exemplum à nobis diſcite, qui legitis.

Inſcrip. Antiq.

Bartolomæi Saliceti. Romæ.

Virtuti ſtudeas, bona nec differto, viator,
Sic tua poſt cineres gloria maior erit.

Vallenſis Bartolomæi.

Currenti medium callem fortuna diremit,
Sic hominum, ventis ocyor, aura perit.

Reſponſio ad querelas.

Parce precor, lacrymis, fatum, germane, quid vrges?
Omnibus hæc ſolido eſt ſcripta adamante dies.
Puluis & vmbra ſumus, tantum poſt funera virtus,
Nomen inextinctum ſola ſuperſtes habet.

Nil aurum.

Nil aurum, nil pompa iuuat, nil ſanguis auorum.
Excipe virtutem, cætera mortis erunt.

Guidonis Piſani. Romæ.

H Vic ſine nocte diem, vitam ſine morte, quietem
Det ſine fine, quies, vita, dieſq; DEVS.

Aliud. Romæ.

C Erta dies nulli eſt, mors certa, incerta ſequentum
Cura, locet tumulum qui ſapit ante, ſuum.

Callimachi Philippi. Cracoui.

A Eneus eſt tumulus, mors ænea, & æneus ille eſt,
Qui legit hæc ſiccis triſtia verba oculis.

Ex Monum.

D M

Paulinæ Valeriæ dulciſſimæ Parentes mœſtiſſimi.

D Ecipimur votis, & tempore fallimur, & mors
Deridet curas, anxia vita nihil.

Ex Monu.

Fictum pro antiquo.

A Elia natorum maneſq; ſecuta mariti,
Vſa ſua iacet hîc Septimiana manu.
Vir Turrinus erat: cum quo tria luſtra peregit,
Iurgiaq; in ſancto nulla fuere toro.
Binaq; de primo ſuſcepit pignora partu,
Dein natam matris ſpemq; metumq; ſuæ.
Crudeles Diui, proles adoleuerat, at mors,
Iniecit tetricas peruiolenta manus:
Poſt quæ mærentem, ne quid ſupereſſet amanti,
Abſtulit orbata proxima luna virum.

Digitized by Google

Quem ſimul ac flamma vidit lambente cremari,
Ergo ibis, tecum, nec tua, dixit, erit?
Eripies mihi tu nunquàm hoc Fortuna: licebit,
Hos ſaltem, inuitâ te, potuiſſe mihi,
Dixerat: & ſtricto fixit ſua pectora ferro,
Sic moriens caro nunc quoq; iuncta viro eſt.

Pet. Bemb.

Lectori S.

QVi plura cupit: videat Tumulos vetuſtos, in libro Georgij Fabricij Monumentorum Antiquitatis.

VARIORVM CASVVM.

Hermaphroditi.

Diuina verba ſecum non pugnant.

Ἔγκυος οὖσα γυνὴ τέκεος πέρι Φοῖβον, Ἄρηα,
Ἥρην, τοὺς ἅμα τρεῖς ἐξερέεινε θεούς.
Ἄρσενα Φοῖβος, Ἄρης θήλειαν φάτο, καὶ οὐδέτερον δὲ
Ἥρη. πάνθ' ὑγιῶς, Ἀνδρόγυνος γὰρ ἔφυ.
Εἰρομένης δὲ μόρου, μόρος οἱ ξίφος ἔχεσεν Ἥρη,
Σταυρὸς Ἄρης, Φοῖβος κύματα. πάντα ἀπέβη.
Δένδρῳ ἐφειστήκει. πέσε δ' οἱ ξίφος, αὐτὸς ἐπ' αὐτῷ
Ἤριπεν εἰς ποταμὸν, κύμβαχος ἐκ δὲ ποδοῖν.
Ἤρθη ἀπ' ἀκρεμόνων, θάνε γοῦν θηλύς τε, καὶ ἄρρην,
Κ'οὐδέτερον, σταυρῷ, κύμασι, καὶ ξιφέει.

Ex Pulice antiquo.

Hoc eſt.

CVm mea me genitrix grauida, geſtaret in aluo,
Quod pareret, fertur conſuluiſſe Deos.
Mas eſt Phœbus ait, Mars fœmina, Iunoq;, neutrum.
Cùmq; forem natus Hermaphroditus eram.
Quærenti letum: ſic Iuno ait, occidet armis
Mars: cruce, Phœbus: aquis. Sors rata quæq; fuit.

Arbor

Arbor obumbrat aquas, aſcendo, decidit enſis
Quem tuleram, caſu labor & ipſe, ſuper.
Pes haſit ramis, caput incidit amne: tuliq;
Fœmina, vir, neutrum, flumina, tela, crucem.

Politianus.

Catelli.

NIl tibi non dominus tribuit Bembine, Catelle
A quo nomen habes & tumulum & lacrymas.

Pet. Bembus.

Pſittaci.

COlligor ex ipſo dominæ placuiſſe, ſepulchro,
Ora fuêre mihi plus Aue, docta loqui.

Ouid. Amo. 2.

Paſtoris ab arbore obruti.

TRiſtia diſce meo vitare pericula caſu,
Hoſpes, & alterius cautior eſſe malo.
Nox erat & gelidos emiſerat Aeolus Euros,
Quùm puer armentum paſcere iuſſus eram,
Excito formoſum radice ſub arboris ignem,
Inde ſoporatum me premit alta quies:
Dùm capio ſomnum violentis ignibus arbor,
Corruit exitio meq; ruina dedit.

Geor. Sabinus.

Trecentorum & Sexaginta infantum.

EN tibi monſtroſum nimis, & memorabile factum,
Quale nec à mundi conditione datum.

Margarita Hermanni Comitis Hennebergiæ vxor, Quarti Florentij Comitis Holandiæ & Zelandiæ Guilielmi Regis Rom. ac poſtea Cæſaris ſeu Gubernatoris Imperij atq; Alitheiæ Comi-

Am PP. D. Bonon. ad S. procul.

AElia, Lælia, Criſpis, nec vir, nec mulier,
Nec Androgyna, nec puella, nec iuuenis,
Nec anus, nec meretrix, nec pudica:
Sed omnia
Sublata nec fame, nec ferro, nec veneno:
Sed omnibus
Nec cælo, nec aquis, nec terris:
Sed vbiq; iacet.

LVcius Agato Priſcus, nec maritus, nec amator,
Nec neceſſarius, neq; mœrens, neq; gaudens,
Neq; flens, hanc nec molem nec pyramidem
Nec ſepulcrum: ſed omnia,
Scit & neſcit quid poſuerit.

HOc eſt ſepulchrum intus cadauer non habens:
Hoc eſt cadauer ſepulcrum extrà non habens:
Sed cadauer idem eſt, & ſepulcrum ſibi.

FINIS.

Errata ſic corrige.

FOlio 4. 1. linea lege veſtras pro veſtris. fol. 9. verſu 16. tolle: inter puerum & ſed. f. 10. v. 5. lege ſua pro ſuo. f. 13. v. 13. lege mortua. f. 21. lin. 15. lege ſtatuam. f. 35. l. 15. lege lataui pro litaui. ibid. l. 24. lege annis pro omnis. ibid. l. 7. lege tabo, pro tabe. f. 36. l. 20. lege humanas, pro humana. fol. 41. l. 15. pro Quis: lege Hiſce. fol. 43. l. 13. lege Quinq; pro Quumq;. f. 52. l. 13. vidiſti ne, dele: ne. folio 58. linea 15. COSMVS pro COSMV. folio 59. linea 16. lege Deum pro Deûm. fol. 63. Pacem precatus: pro precatus pacem. f. 66. l. 20. magna pro magno. f. 66. l. 29. lege rexit pro vexit. f. 67. l. 8. lege niſi dante pro inſidiante. f. 72. l. 2. triumphi pro Hiumphi. f. 73. l. 3. à fine lege Romulida. f. 76. l. 10. à fine lege Polotiam. l. 6. à fine lege Tattaro. l. 4. à fine lege permouit pro perwicuit.

Digitized by Google

V. 1. 55 C n 5

EX· SVPERIORVM· CONCESSV

DE

INFAMI· APVD PLERASQVE· GENTES CRVCIS· SVPPLICIO

COMMENTATVR

ET

DOMINOS· MAECENATES· PATRONOS· ATQVE· FAVTORES

AD

BENIGNE· AVDIENDAS· ORATIONES METRO· ADLIGATAS

QVIBVS

SERVATORIS· CRVCI· PRO· NOBIS· ADFIXI MEMORIAM

RECOLENT

QVATVOR· BONAE· INDOLIS· IVVENES

EA· QVA· PAR· EST· RATIONE

CONVOCAT

M· CAROLVS· HENR· LANGIVS

GYMNASII· SVBRECTORI· ADIVNCTVS· ET BIBLIOTHECAE· PVBLICAE· PRAEFECTVS

LVBECAE. Typis Io. Nic. Greenii, Ampliſſ. Sen. Typogr.

Digitized by Google

Q. D. B. V.

de infami apud pleraſque gentes crucis ſupplicio.

§. I.

INTER cruciatuum ſummorum ludibria, quibus innocentisſimus humani generis ſeruator ignominioſe uexatus eſt, ſummo prominet loco nefandum crucis ſupplicium, quo miſere a iudaeis et romanis adfectus obiit. quem ad modum enim id., ſi per ſe ſpectetur, atrocisſimum (a) adparet, eo, quod in crucem ſublatis, aut ſtillante paullatim ſanguine (b), aut fame pereundum erat: ita ignominioſum maxime et infame apud pleraſque fuit gentes habitum. quod dum demonſtrare ſuſcipio, non apud iudaeos tantum; ſed alios quoque populos, romanos cum primis, id accidiſſe oſtendendum eſt.

(a) teſtis eſt CICERO *l. V. in* VERREM *cap XVIIII.*

(b) conſulatur LIPSIVS de *cruce lib. II. cap. XII. p.* 69. *edit. plantinian.* 1595. 8 qui et cap. XIII. XIIII. multus eſt in demonſtratione atrocitatis huius ſupplicii, dum alios a uolucribus, a feris alios uiuos laceratos, alios interdum lanceis confosſos eſſe, docet.

§. II.

DIV equidem multumque diſceptatum inter eruditos eſt: iudaeisne hoc ſupplicii genus ante, quam a romanis ſubacti eſſent, notum fuerit et uſitatum, an minus? non paucis rem hanc negantibus (a), adfirmantibus aliis: facere tamen non poſſum, quin adſerentibus adſtipuler. ſunt enim aduerſae partis argumenta, ex-

explosa praecipue a MOEBIO (b), tanti non ponderis, ut ab noſtra nos dimouere ſententia poſſint. legat, qui cauſſam integram cupit cognoſcere, clariſſimum, iàmque laudatum MOEBIVM (c). quod enim de ſuſpendio, fune peracto, alii explicant, nos, ipſos iudaeos interpretes (d) ſequuti, adſumimus de cruce. id ſupplicium prorſum fuiſſe in iudaeorum oculis infame, argumento eſt *deut.* XXI. 23. quo, κρεμασθέντα ἐπὶ ξύλου, uti reddunt LXX interpretes, maledictum eſſe, legimus. uti namque deus ter optimus, quod ex *gal.* III. 13 adparet, ad κατάραν κατ' ἐξοχὴν, propter deteſtanda omnium hominum crimina in ſe ſuſcepta, CHRISTVM puto, reſpexit; ita, quo minus iudaei, ad huius normam praecepti, de crucis infamia ſenſerint, non eſt dubium. exempla ignominiam teſtantia produxit MOEBIVS (e).

(a) ad eos, qui rem negant, referendi ſunt ISAACVS CASAVBONVS, *aduerſus* BARONIVM *exercit. XVI.* IO. MICHAEL DILHERR *tom. I. diſp. acad.* p. 19. BARTHOL. KECKERMANNVS *lib. III. ſyſtem. theol. cap.* 4. *p.* 289. et THOMAS MALVENDA *tom. II.* in *IOSVAM fol* 43. GROTIVS ad MATTH. XXVII. 26. IO. ALBERT. FABRICIVS *bibliog. antiqu. cap.* XV. *p.* 513. refert equidem huc MOEBIVS *diſſert.* de *crucis ſupplicio cap. I.* §. 5. PETRVM FABRVM *lib. II ſemeſtrium cap.* 8. *p.* 102 *edit. lugd.* 1601. 4 ſed, ni me omnia fallunt, prorſus contrariatur, atque in noſtram concedit ſententiam. en eius uerba: IVLIVS *etiam* CAPITOLINVS *in* OPILIO MACRINO, (*ubi* MACRINVM *ut ſuperbum et ſanguinarium reprehendit*) *his uerbis utitur: nam et in crucem milites tulit, et ſeruilibus ſuppliciis ſemper adfecit. ſane non apud iudaeos tantum diuinae legis quosdam quaſi depoſitarios atque cuſtodes, (qua lege nominatim ei, qui penderet in ligno, ſpiritus domini maledixerat deuteronom. ca. 21 ad finem) ſed apud ipſos etiam romanos patibulum abominandum et infame habitum fuit:* adfirmantium contra numerum complent BARONIVS *in annal. ad annum* Chriſti XXXIIII. n. LXXXXII. *Tom.* I. *op. pag* 221. *ex ed. mogunt.* 1601. *fol.* ABRAHAMVS CALOVIVS *bibl. inluſt. tom. I. ad deut. cap.* XXI. IACOBVS PHILIPPVS CAROLI *in guſtu philologiae ſacrae dial. III.* STEPHANVS CLOTZIVS *de doloribus anim. Chriſti conſ. XXV. p.* 245. IOAN. CONRADVS DIETERICVS *in antiquit. bibl. preleg p.* 25. LIPSIVS *de cruce lib. I. cap. XI. p.* 39. PHILIPPVS IACOBVS MAVSSACVS *in notis ad* PLVTARCHI περὶ ποταμῶν *p.* 58. *tom. II. op. extrem. ed. francof.* 1620. *fol.*

(b) in diſſertatione uix dum adlegata, quae reperitur tom. II. *theſauri theolog. philol. p.* 234 *ſeqq.*

(c) *loc.*

(c) *loc. excit.*
(d) iidem enim, quos §. III. producemus, hos quoque de iudaeorum ſuſpendio locos, uoce ἀνασταυροῦν explicant.
(e) *loc. add.* p. 235 ſeqq. repete FABRI uerba obſ. I. recitata.

§. III.

CONSVETVM hoc porro ſupplicium fuit et in probroſo habitum ab *aegyptiis*. non praeter rem erit, ſi piſtorum praefectum ex *geneſ.* cap. XXXX. u. 19. 20. huc uocemus. is etenim PHARAONIS iuſſu, ad praedictum IOSEPHI, ſomnium explicantis, in crucem actus eſt. probat hoc non ſolum radix תלה (a) et adiecta uox על־עץ, ſed et ipſorum interpretatio iudaeorum, qui graece phraſin hanc per ἀνασκολοπίζειν et ἀνασταυροῦν explicarunt. PHILO *iudaeus* ſomnii huius interpretationem ita (b) recenſet: *tria caniſtra trium dierum ſymbolum ſunt, poſt has rex te in crucem tollet.* conſentit plane IOSEPHVS (c), dum ita: IOSEPHVS *uero de ſomnio meditans, et praefatus ad eum, quod lubens meliorum uoluerit eſſe interpres rerum, quam ſomnium portenderet, dicit, non niſi duas eum amplius dies uicturum eſſe: hoc enim caniſtra ſignificare: tertia autem die cruci adfixum ab alitibus eſſe deuorandum, quas abigere non ualeret.* ignominia huius ſupplicii ex alio palam fiet exemplo. narrat enim elegantisſimus terſisſimusque rerum peloponneſiacarum ſcriptor THVCIDIDES (d) de afrorum rege, INARO, PSAMMETICHI filio, quod nouarum ſtudioſus rerum, ex urbe *marea*, quae ſupra *pharum* ſita eſt, profectus, maiorem aegypti partem ad defectionem a rege ARTAXERXE faciendam impulerit, graecosque traxerit ad belli ſocietatem. cum his, uti eſt omnis facinoris initium ſuaue, progreſſus difficilis, primo feliciter pugnauit, tandem, fugatis graecis, a ſuis proditus, ab ARTAXERXE *in crucem ſublatus eſt.* dignum profecto facinore ſupplicium! eo ignominioſius regi, quod ſeruis et uilisſimae ſortis hominibus ſolet contingere.

(a) conf. IACOBI GVSSETII *commentarius linguae ebraicae hac uoce*, conlata tamen praecipue uoce יקע *p. 343. col. b. lin.* 8.
(b) in IOSEPHO *p. 421. extrema. edit. colon.* 1619. in fol. uerba ita habent:

Digitized by Google

τὰ τρία κατὰ σύμβολον τριῶν ἡμερῶν ἐςὶν. ἐπισχὼν ταύτας ὁ βασιλεὺς ἀνασκολοπισθῆναί σε.

(c) *antiquitat. iudaicar. lib. II. cap. III. p.* 42. *F. edit. aurel.* 1611. *fol.* ὁ δὲ Ἰώσηπος συμβαλὼν τῷ λογισμῷ τὸ ὄναρ, καὶ πρὸς αὐτὸν εἰπὼν, ὡς ἐβούλετ' ἂν ἀγαθῶν ἑρμηνευτὴς αὐτῷ γεγονέναι, καὶ οὐχ οἷον τὸ ὄναρ αὐτῷ δηλοῖ, λέγει: δύο τὰς πάσας ἔτι τοῦ ζῆν αὐτὸν ἔχειν ἡμέρας. τὰ γὰρ κανᾶ τοῦτο σημαίνει. τῇ τρίτῃ δὲ αὐτὸν ἀνασταυρωθέντα, βορὰν ἔσεσθαι τοῖς πετεινοῖς οὐδὲν ἀμύνειν ἑαυτῷ δυνάμενον.

(d) *belli peloponn. lib. I. p.* 68. *A. ſeqq. edit. francof.* 1594. in folio. uerba, quibus ſupplicium enarrat, iſthaec ſunt: Ινάρως δὲ ὁ τῶν λιβύων βασιλεὺς, ὃς τὰ πάντα ἔπραξε περὶ τῆς αἰγύπτου, προδοσίᾳ ληφθεὶς, ἀνεσταυρώθη. *p.* 71. *F.*

§. IIII.

APVD *indos* crucis infamia aeque nota fuit, ac apud *ſcythas*: illud confirmatur et PLVTARCHI et DIODORI SICVLI auctoritate: hoc partem IVSTINI, partem eiusdem DIODORI SICVLI. ad prius quod adtinet, de indiae uirginibus memorat PLVTARCHVS, (a) quae non caſte uixerint, clauis cruci fuiſſe adfixas, et in hydaſpen fluuium proiectas. DIODORVS (b) uero de SEMIRAMIDE, bellum aduerſus indiae regem parante, narrat, quod illi rex indorum per legatos interminatus ſit, ſe armis deuictam cruci adfixurum. quod, niſi ſollemne ſupplicium fuiſſet, facere non potuiſſet. *ſcytharum* autem morem eumdem fuiſſe IVSTINVS (c) nos dubitare minime ſinit, dum et ſeruile mortis genus et ſolemne in ſcythia fuiſſe, aperte ſatis loquitur. eamdem rem profitetur HERODOTVS (d), ſupplicium tamen a ſeruis ſumtum reticet. praeclarum etiam mortis in cruce ignominioſae apud ſcythas monumentum tradit DIODORVS SICVLVS (e).

(a) περὶ ποταμῶν *p.* 1148. *tom. II. oper. ed. francof.* 1620 *fol.* en uerba: οἱ δὲ ἐγχώριοι, τὰς ἀσεβῶς ἀναστρεφομένας παρθένους σταυροῖς προσηλώσαντες εἰς αὐτὸν βάλλουσιν. ad haec uerba dum commentatur

PHILIPPVS IACOB. MAVSSACVS *loc. cit. p.* 58. eruditiſsime ſimul BARONIVM et LIPSIVM contra ISAACVM CASAVBONVM defendit, multaque interdum *in* iſtis *contra* BARONIVM *exercitationibus* admiſiſſe uirum doctum obſeruat, quae miram properantiam arguant.

(b) *biblioth. hiſtor. lib. II. p.* 105. πολλὰ δὲ (τῶν ἰνδῶν βασιλεὺς) καὶ ἄῤῥητα κατ' αὐτῆς εἰς ἐπιμξίαν, βλασφημήσας διὰ τῶν γραμμάτων, καὶ θεὺς ἐπιμαρτυράμενος ἠπείλει καταπολεμήσας αὐτὴν σταυρῷ προσηλώσειν.

(c) *lib. II. cap. V. p.* 39. *ed. bernegg.* 1666. 8. *quibus*, ita inquit, *quum uaria uictoria fuiſſet, admonentur ſcythae mutare genus pugnae, memores, non cum hoſtibus, ſed cum ſeruis proeliandum; nec armorum, ſed dominorum iure uincendos; uerbera in aciem, non arma adferenda; omiſſoque ferro, uirgas ac flagella, ceteraque ſeruilis metus paranda inſtrumenta. probato omnes conſilio, inſtructi, ſicut praeceptum erat, poſtquam ad hoſtem acceſſere, inopinantibus uerbera intentant: adeoque illos perculerunt, ut, quos ferro non poterant, metu uerberum uincerent; fugamque non ut hostes uicti, ſed ut fugitiui ſerui capeſſerent. quicumque capi potuerunt, ſupplicia* crucibus *luerunt.*

(d) *melpomene* ſ. *lib. IIII. ineunte. p* 254. *ed.* HENRICI STEPHANI 1592. *fol.*

(e) teſtis ille eſt, CYRVM, perſarum regem, a ſcytharum regina captum cruci adfixum eſſe. recole mecum ipſa DIODORI uerba *bibl. hiſt. lib II. p.* 128. ed. cit. Κύρου μὲν γὰρ τοῦ περσῶν βασιλέως πλεῖστον ἰσχύσαντος τῶν καθ' αὐτὸν καὶ στρατεύσαντος ἀξιολόγοις δυνάμεσιν εἰς τὴν σκυθίαν, ἡ βασίλισσα τῶν σκυθῶν τό τε στρατόπεδον τῶν περσῶν, κατέκοψε, καὶ τὸν κῦρον αἰχμάλωτον γενόμενον ἀνεσταύρωσε.

§. V.

NEC infrequens fuit inter *perſas*, maleficos in crucem agere, praeſertim eos, qui inſigni quodam ſeſe crimine polluerant. nolim multis repetere, quae de HAMANE, crucem MARDOCHAEO parante, in quam ipſe tamen fuit ſublatus, ſacrae teſtantur litterae (a): ipſo id IOSEPHI (b) comprobatur teſtimonio, nec umquam ſtrangulatio conſueta in his terris fuit. prouocabo ſtatim ad profanos ſcriptores, qui copioſiſsimi huius rei teſtes ſunt. ſufficiat nobis, omnium loco, HERODOTVS, qui uaria, quae huc ſpectant, ſuppeditat. de POLYCRATE is auctor eſt (c), quod magneſiam ad OROETEM profectus, tetra morte adfectus et

cruci

Digitized by Google

cruci adfixus fuerit. idem (d) HISTIAEVM MILESIVM ab ARTAPHERNE, ſardium praetore, truncum fuiſſe in crucem ſublatum, memorat. non alio mortis ſupplicio, ob infame ſtuprum uirgini inlatum, deſtinabatur a rege SATASPES (e), quo et, licet poſt quoddam tempus, pro merito periit. de LEONIDA, MARDONII atque XERXIS iuſſu interemto, cuius, reciſo capite, truncus in crucem ſublatus ſit, conqueſtus eſt LAMPON (f), PAVSANIAM ſimul precatus, ut ita hoc uindicet ſupplicium, ne barbari in poſterum nefanda id genus facinora in graecos perpetrare audeant.

(a) ESTH. VII. 10.

(b) *antiquit. ind. lib. XI. p.* 379. E. *et p.* 380. A. Σαβουχάδας τὶ τῶν ευνούχων εἷς, ἰδὼν τὸν σταυρὸν ἐν τῇ ἀμάνου οἰκίᾳ πεπηγότα - - - - καὶ σαβουχάδας ὁ ἐυνοῦχος παρελθὼν κατηγόρει τοῦ ἀμάνου, ὡς εὕροι σταυρὸν ἐπὶ τῆς οἰκίας αὐτοῦ παρεσκευασμένον ἐπὶ μαρδοχαῖον. - - - - ὁ δὲ βασιλεὺς ἀκούσας, οὐκ ἄλλῃ τιμωρίᾳ περιβαλεῖν ἔκρινε τὸν Ἀμάνην, ἢ τῇ κατὰ μαρδοχαίου νενοημένῃ. καὶ κελεύει παρὰ χρῆμα αὐτὸν ἐξ ἐκείνου σταυροῦ κρεμασθέντα, ἀποθανεῖν.

(c) in THALIA ſ. *lib. III. hiſt. p.* 238. *ed. adleg.* ἀπικόμενος, inquit, δὲ ἐς τὴν Μαγνησίην ὁ πολυκράτης, διεφθάρη κακῶς, οὔτε ἑωυτοῦ ἀξίως οὔτε τῶν ἑωυτοῦ φρονημάτων. ὅτι γὰρ μὴ οἱ Συρηκουσίων γενόμενοι τύραννοι οὐδὲ εἷς τῶν ἄλλων ἑλληνικῶν τυράννων ἄξιός ἐστι πολυκράτεϊ μεγαλοπρεπείην συμβληθῆναι. ἀποκτείνας δέ μιν οὐκ ἀξίως ἀπηγήσιος Ὀροίτης ἀνεσταύρωσε.

(d) *in* ERATO *ſ. lib. VI. p.* 390. 391. *ed. not.* Ἀρταφέρνης τε ὁ σαρδίων ὕπαρχος, καὶ ὁ λαβὼν Ἅρπαγος, ὡς ἀπίκετο ἀγόμενος ἐς σάρδις, τὸ μὲν αὐτοῦ σῶμα αὐτοῦ ταύτῃ ἀνεσταύρωσαν. τὴν δὲ κεφαλὴν ταριχεύσαντες ἀνήνεικαν παρὰ βασιλῆα Δαρεῖον ἐς Σοῦσα.

(e) ſpectant huc iſthaec HERODOTI uerba in MELPOMEN. *ſ. lib. IIII. p.* 269. θυγατέρα γὰρ Ζωπύρου ἐβιήσατο τοῦ Μεγαβύζου παρθένον.

Google

θέντα. ἔπειτα μέλλοντος αὐτοῦ διὰ ταύτην τὴν αἰτίην ἀνασκολοπιεῖσθαι ὑπὸ Ξέρξεω βασιλῆος. adde p. 270. B.

(f) apud eumdem auctorem in CALLIOP. ſ. lib. VIIII. p. 617. λεωνίδεω γὰρ ἀποθανόντος ἐν Θερμοπύλῃσι Μαρδόνιός τε καὶ Ξέρξης ἀποταμόντες τὴν κεφαλὴν ἀνεσταύρωσαν.

§. VI.

IMMO nec a *gallis* plane intermiſſum eſſe hoc mortis genus, clarum eſt. DIODORVS enim SICVLVS in *bibliotheca ſua hiſtorica* (a) gallorum mentionem iniiciens, crudelitatem ipſis, in religione adeo adhibitam, exprobrat, dum, maleficos ab iis, per quinquennium retentos, palis ſuffixos eſſe, ſcribit. crucis id quamdam ſignificare ſpeciem, pluribus euicit LIPSIVS (b). *Aſſyriis* eadem ratione conſueta *crux* fuit, non ſolum in maleficis tollendis, ſed regibus etiam, ignominiae cauſſa necandis, uſurpata. iuuat nos hoc loco iterum DIODORI (c) auctoritas, qui PHARNVM, mediae regem, ab aſſyriorum principe, bello uictum, cum uxore et VII liberis in crucem actum, aperte ſatis narrat.

(a) *lib. V. p.* 309. ita loquitur: ἀκολούθως δὲ τῇ καθ' αὑτοὺς ἀγριότητι, καὶ περὶ τὰς θυσίας ἐκτόπως ἀσεβοῦσι. τοὺς γὰρ κακούργους κατὰ πενταετηρίδα φυλάξαντες ἀνασκολοπίζουσι τοῖς θεοῖς, καὶ μετ' ἄλλων πολλῶν ἀπαρχῶν καθαγίζουσι, πυρὰς παμμεγέθεις κατασκευάζοντες.

(b) de *cruce lib. I. cap. V. p.* 22. conlato *lib. III. cap. X. p.* 95 *ſeqq.*

(c) *bibl. hiſt. lib. II. p.* 91. *ed. cit.* ὁ δὲ ταύτης βασιλεὺς Φάρνος παραταξάμενος ἀξιολόγῳ δυνάμει, καὶ λειφθεὶς, τῶν τε στρατιωτῶν τοὺς πλείστους ἀπέβαλε, καὶ αὐτὸς μετὰ τέκνων ἑπτὰ καὶ γυναικὸς αἰχμάλωτος ληφθεὶς ἀνεσταυρώθη.

§. VII.

PROGREDIMVR ad *afros*, *carthaginienſes* praecipue, apud quos

quos tam frequens fuit hoc mortis genus, et in ignominia aeſtimatum, ut ſi, quae dantur, exempla recenſere omnia uelimus, chartae anguſtia non caperet. dabimus primaria. agmen ducat BOMILCAR qui, ipſe licet *poenorum* rex, ad AGATHOCLEM cum exercitu tranſire uelle uiſus, *in medio foro patibulo ſuffixus eſt* (a). non uero eſt, quod *patibuli* te uocabulum moueat, ſtatim ſubiicit, qui haec enarrat, IVSTINVS, *ſed BOMILCAR magno animo crudelitatem ciuium tulit, adeo, ut de ſumma CRVCE, ueluti de tribunali, in poenorum ſcelera concionaretur.* DIODORVS (b) idem enarrans, ſupplicii genus equidem non deſignat, addit tamen: *αὐτὸν δὲ τὸν Βορμίλκαν αἰκισάμενοι δεινῶς τοῦ ζῆν ἐστέρησαν*: *BOMILCAREM uero atrociſſimis adfectum cruciatibus occiderunt.* aliud ignominioſae mortis exemplum idem IVSTINVS ſuppeditat (c), MALEVM, patrem in ipſum filium, neglectae obedientiae reum, licet infulis inſignem ſacerdotii, cruce animaduertiſſe, ſignificans. hoc porro mortis genere, ante miſſis cruciatibus atrociſſimis, periit HANNO (d) carthaginienſium dux, ob adfectatum regnum, caedemque ſenatui ſaepe intentatam, non immerito punitus. periit et (e) SPENDIVS, proditionis reus, qui ab AMILCARE in crucem actus eſt. periit M. ATTILIVS REGVLVS, quod SILIVS ITALICVS (f) refert, ab iisdem *poenis* in altisſimam ſublatus crucem. cauſſam atrocioris ſupplicii dicent A. GELLIVS (g) L. ANN. FLORVS (h) et EVTROPIVS (i). ſoliti quoque ſunt *poeni* in duces, bellum prauo conſilio gerentes, hoc modo animaduertere, quod VALERIVS MAXIMVS (k) tradit. agmen denique claudat IVBAE atrocitas, qui, referente A. HIRTIO (l), numidas eos, qui loco amiſſo fuga ſe receperant in caſtra, in cruces omnes ſuffixit.

(a) IVSTINVS *lib. XXII. cap. VII. p.* 345. *edit. bernegg.*

(b) *bibl. hiſt. lib. XX. p.* 781. *ed. adlegat.*

(c) *lib. XVIII. cap. VIII. p.* 307. uerba ſupplicium teſtatura mecum recole: *atque ita eum cum ornatu ſuo in altisſimam crucem in conſpectu urbis ſuffigi iuſſit.* et paullo ante: *ſtatuam in te exemplum, ne quis poſthac infelicibus miſeriis patris inludat.*

B (d) refert

851

Google

(d) refert hoc idem TROGI epitomator *lib. XXI. cap. IIII. p. m. 931. ibi dum afros*, inquit, *regemque maurorum concitat, capitur, uirgisque caeſus, effosſis oculis, et manibus cruribusque fractis, uelut a ſingulis membris poenae exigerentur, in conſpectu populi occiditur: corpus uerberibus laceratum in crucem figitur.*

(e) euolue POLYBIVM hiſt. lib. I. p. 86. μετὰ δὲ ταῦτα, haec eius uerba ſunt προσαγαγόντες πρὸς τὰ τείχη τοὺς περὶ τὸν Σπένδιον αἰχμαλώτους, ἐσταύρωσαν ἐπιφανῶς.

(f) *de bello punico II.* lib. II. u. 340. ſeqq.

uidi ego, quum geminas, arctis poſt terga catenis,
ſubcinctus palmas, uulgo traheretur ouante
carceris in tenebras ſpes et fiducia gentis
REGVLVS hectoreae: uidi quum robore pendens
heſperiam cruce ſublimis ſpectaret ab alta.

(g) *noctium atticarum lib. VI. cap. IIII. p.* 155. *edit. elzeu.* 1665. 12.

(h) *rer. roman. lib. II. cap. II. p.* 110. 111. *ed. freinshem. arg.* 1655. 8.

(i) *lib. II. hiſtor. rom. cap. XIIII. p.* 25. *ed. lugd.* 1594. 8.

(k) *dictor. factorumque memorab. lib. II. cap. VII. p.* 65. *extern. edit. franc.* 1601. 8.

(l) *de bello afric. cap.* 66. *p.* 548. *ed. merbitzian. francof.* 1706. 8.

§. VIII.

NVM quis uero eſt, qui de *graecorum* in hac re moribus dubitet? age, quisquis fueris, uel ſolum ALEXANDRI M. exemplum te ſolidisſime conuincet. GLAVCVM etenim medicum, ob curatum infeliciter iuuenem, ignominioſe ſuffixit cruci (a), CALLISTHENEM porro proditionis ſuſpectum (b), et multos indorum philoſophos, eiusdem conuictos criminis (c) ἐκρέμασε (d) i. e. ſuſpendit e cruce. non aliter deſaeuiit in ARIMAZEN, *cum propinquis nobilisſimisque gentis ſuae* uiris, *quos omnes uerberibus adfectos, ſub ipſis radicibus petrae crucibus* (e) *iusſit adfigi.* muſicanorum regem, defectionis auctorem (f), in crucem ſuſtulit. praecipua uero quadam ratione crudeliter egit in *tyri* expugnatione, ubi ad millia duo ignominioſo huic ligno clauis adfigi iusſit. narrat hanc rem non DIODORVS (g) modo, ſed et

Q. CVR-

Digitized by Google

Q. CVRTIVS (h), uterque in atrocitate ingemiſcens. ignominiam ex delicto haurimus. quo enim grauius proditio flagitium eſt, eo atrocius ipſi ſupplicium quaerendum fuit. hauries et exinde, quod et in graecia ſeruorum fuerit ſupplicium (i). uerum, ne unius uideamur ALEXANDRI in plectendis maleficis commemoraſſe conſuetudinem, uel unum liceat addere, ex quo, et reliquis iſtud in more fuiſſe poſitum, pateſcat. ſubueniet nobis DIODORVS SICVLVS (k), qui PERDICCAM producit, uti ARIATHAREM, cappadociae regem, eiusque propinquos omnes bello captos, carnifici torquendos tradit, tortos uero in crucem ſuſtolli iubet.

(a) τὸν δὲ ἄθλιον ἰατρὸν ἀνεσταύρωσε. uerba ſunt PLVTARCHI in ALEXANDRO. *tom. I. oper. edit. francof.* 1620. *fol. pag.* 704. *F.*

(b) ἀποθανεῖν δὲ αὐτὸν (καλλισθένην), οἱ μὲν ὑπὸ Ἀλεξάνδρου κρεμασθέντα λέγουσιν. eiusd. auct. uerba ſunt l. c. p. 696. *D.*

(c) οὐκ ἐλάσσονα δὲ τούτων οἱ φιλόσοφοι πράγματα παρέσχον αὐτῷ, τούς τε προστιθεμένους τῶν βασιλέων κακίζοντες καὶ τοὺς ἐλευθέρους δήμους ἀφιστάντες. διὸ καὶ τούτων πολλοὺς ἐκρέμασεν. iterum PLVTARCHVS habet loc. adl. p. 698. *D.*

(d) uocem κρεμᾶν, et ἀνακρεμᾶν idem ſignificare, quod ἀνασταυροῦν et ἀνασκολοπίζειν erudite obſeruat, et demonſtrat elegantisſimus uir IVSTVS LIPSIVS *de cruce* lib. I. cap. IIII. p. 21. edit. adl.

(e) recenſuit haec Q. CVRTIVS lib. VII. cap. XI. p. m. 285. ex *edit.* REYHERI, *gothae.* 1658. 8.

(f) CVRTIVS lib. VIIII. cap. VIII. p. 378. edit. dict.

(g) ὁ δὲ βασιλεὺς τέκνα μὲν καὶ γυναῖκας ἐξηνδραποδίσατο, τοὺς δὲ νέους πάντας, ὄντας οὐκ ἐλάττους τῶν δισχιλίων, ἐκρέμασε. DIODORI haec uerba cognoſce *lib. XVII. p.* 524. ed. adleg.

(h) quae enim DIODORVS SICVL. per ἐκρέμασε dedit: uide quam adcurate CVRTIVS ad noſtram ſententiam explicet: *triſte deinde*, inquit, *ſpectaculum uictoribus ira praebuit regis: duo millia, in quibus occidendi*

di defecerat rabies crucibus adſixi , per ingens littoris ſpatium pependerunt. lib. IIII. cap. IIII. p. 83. ed. excit.

(i) adtente conſidera TERENTII *and. III.* 5. 15. *phorm. III.*3.11.

(k) uide , quae dicat : ἐζώγρησε δὲ ὑπὲρ τὰς πεντακισχιλίους , ἐν οἷς ἦν καὶ αὐτὸς ὁ ἀριαράθης. τοῦτον μὲν οὖν καὶ τοὺς συγγενεῖς αὐτοῦ πάντας αἰκισάμενος ἀνεσταύρωσε. *bibl. hiſtor. lib. XVIII. p. 599. ed. not.*

§. VIIII.

TANDEM ad *inluſtrem romanorum gentem* progredimur, cui et perquam ſollemne hoc fuit ſupplicium & famoſiſſimum aeſtimatum. utrumque iam tum expoſuimus alibi (a). non poſſumus tamen , quin praeter illa , nobis iam memorata, ſpicilegium quoddam ſubiiciamus. ducit nos ad hanc rem DIONYSII HALICARNASSEI lectio (b), qui de ſeruis, conſs. POST. COMINIO et T. LARGIO. a. u. c. CCLIII. de accendenda urbe coniurantibus , crucis ſupplicium ſumtum eſſe profitetur. ad latus pono FLORVM (c), non malum hiſtoriae romanae ſcriptorem, cuius obſeruationi debemus ſupplicium, de ſeruis fugitiuariis a PERPERNA ſumtum , qui captos omnes crucibus puniuit. praeclarum porro militaris diſciplinae exemplar daturus VALERIVS MAXIMVS (d), transfugas a SCIPIONE AFRICANO *crucis* morte punitos eſſe, adſeuerat. imperatorum tempore grauius hoc ſupplicium et ſaepius inualuit. unicum dabo teſtem IOSEPHVM (e), qui TITVM VESPASIANVM, hieroſolymam obſidentem , tot narrat cruci adfixiſſe iudaeos, ut corporibus cruces deeſſe uiſae ſint. quae omnia morem romanum probant non ſolum , ſed infamiam quoque crucis , loca auctorum adcurate contemplantibus (f), loqui et oſtendere uidentur.

(a) *in diſſ. acad. de immunitate ciuis romani a certis poenis hab. ienae* 1728. §. III. *obſ. I. p.* 15. *et obſ. ult. p.* 18.

(b) an-

(b) *antiquit. roman. lib. V. p.* 317. *ed. wechel.* 1586. *fol.* ἐν ᾧ δὲ ταῦτ' ἐπράττετο χρόνῳ, συνωμοσία κατὰ τῆς πόλεως ἐγένετο, δούλων συχνῶν συνηπτμένων τάς τε ἄκρας καταλαβέσθαι, καὶ κατὰ πολλὰς τόπους ἐμπρῆσαι τὴν πόλιν. et paucis interiectis uerſibus: οἱ δὲ pergit ἐκ τῶν ἀγορῶν ἀχθέντες ἀνεσκολοπίσθησαν ἅπαντες. ταῦτα ἐπὶ τούτων ἐπράχθη τῶν ὑπάτων.

(c) *rerum romanar.* III. 19. 8. *p.* 298. *ed. adl. tandem*, inquit, PERPERNA *imperatore ſupplicium de iis ſumtum eſt. hic enim uictos, et apud ennam nouiſſime obſeſſos*, quum fame, quaſi *peſtilentia conſumſiſſet, reliquias latronum* compedibus et *catenis religauit, crucibusque puniuit.*

(d) dictor. factor. memor. lib. II. cap. VII. n. 12. p. 61. ed. cit. *grauius*, inquit, *in romanos, quam latinos transfugas animaduertit. hos enim, tamquam patriae fugitiuos crucibus adfixit. illos tamquam perfidos ſocios ſecuri percusſit.*

(e) *de bello iudaico lib. VI. cap. XII. p.* 933. *ed. adleg.* καὶ μετὰ μάχην, ἱκετεύειν ἄωρον ἐδόκει. μαστιγούμενοι δὴ καὶ προβασανιζόμενοι τοῦ θανάτου πᾶσαν αἰκίαν, ἀνεσταυροῦντο τοῦ τείχους ἀντικρύ. paullo poſt: προσήλουν, pergit, δ' οἱ στρατιῶται δι' ὀργὴν, καὶ μῖσος τοὺς ἁλόντας, ἄλλον ἄλλῳ σχήματι πρὸς χλεύην καὶ διὰ τὸ πλῆθος χώρα τε ἐνελείπετο τοῖς σταυροῖς, καὶ σταυροὶ τοῖς σώμασιν.

(f) plerumque enim in fugitiuos, in ſeruos, in transfugas ſtatutum hoc eſſe ſupplicium, illa confirmant. quod ſane ſatis fuiſſe ignominiae, norunt omnes, qui, quid apud romanos liber ſeruo diſtet, intelligunt. ſane uel ipſe id loquitur VALERIVS MAXIMVS loco uix dum adlegato, ubi ſtatim ſubiungit: *non proſequar hoc factum ulterius, et, quia* SCIPIONIS eſt, *et quia romano ſanguini, quamuis merito perpeſſo, ſeruile ſupplicium inſultare non adtinet.* immo CICERO atrocitatem huius ſupplicii uerbis exprimere ſatis nequit *orat. V. in uerrem*, quem locum adduximus in *differtat. adl. de immunit. ciu. rom. a. cert. poen.* §. VIII. *obſ.* 2. *p.* 48. adde quaeſo PETRVM FABRVM *ſemeſtrium lib.* II. *cap.* VIII. *p.* 101. *ſeqq.* qui copioſiſſime hanc rem declarat.

§. X.

ATROCISSIMO itaque hoc et infami prorſus ſupplicio, quo pleraeque gentes omnes non niſi ſeruos, facinoroſos, transfugas, proditionis reos adfecerunt, ſeruator noſter ſanctisſimus ignominioſe ſublatus eſt. quotiescumque illius rei recordamur, recordandum uero eſt quotidie, toties lacrimae oboriuntur nobis, quod ipſe innocentisſimus, nihilo tamen minus tamquam κατάρα, laeſae etiam, ex iudaeorum ſententia, maieſtatis reus, in cruce pependerit, atque ab omnibus, iis praeſertim, in quorum gratiam mortem ſubiit, maximis conſciſſus fuerit opprobriis, aduncoque, foedum dictu! naſo ſuſpenſus. non male ergo factum eſſe puto, hoc praeſertim tempore, quo publice horum memoriam cruciatuum relegimus, ſi ſtudiis elegantioribus dicata iuuentus, quidquid in iis ualet, perpesſionibus ſeruatoris praecipue commemorandis addicat. atque hoc etiam eſt, cuius cauſſa hoc, quidquid eſt, laboris, in me ſuſcepi. prodibunt enim CRASTINA LVCE poſt ſacra peracta in publicum IVVENES QVATVOR, bonae indolis, et doctrinae elegantioris ſtudioſisſimi, carminibus tum *latinis*, tum *germanicis* CHRISTI cruciatus decantaturi, quorum primus

MARTINVS HENRICVS SCHLICHTKRVLL,

ſunda pomeranus,

uti adhuc perpetuus fuit elegantioris litteraturae cultor et ſtrenuus, ita quoque nunc, quid in iis profecerit, oſtenſurus, *praecipua perpesſionum malignarum capita* oda *germanica* enarrabit. ſuccedet alter

IO-

Digitized by Google

IOANNES MARTINVS GOELDELIVS,

lubecenſis,

elegantis ingenii, et in ſpem patriae efflorefcens iuuenis, qui, dum huc usque, (quod ego parenti clarisſimo, atque de noſtra hac muſarum ſede praeclare merito ex animo gratulor) copioſum in condendo carmine romano diligentiam mihi probauit, nunc etiam *CHRISTVM pro uniuerſis hominibus mortem ſubiturum, non hominem ſolum, ſed deum fuiſſe* carmine heroico *latino contra iudaeos* demonſtratum ibit. hunc excipiet itidem praeclarae indolis iuuenis

IOACHIMVS GVILIELMVS HEVCK,

roſtochienſis,

quem quo propius, tamquam domeſticum cognoui, eo magis de continuo in humaniores litteras ſtudio & diligentia commendare poſſum, *chriſti θεανθρώπου, a iuda nefando auſu proditi, captiuitatem* eodem carminis genere proſequuturus, atque in atrox illud factum inuecturus. denique magnae ſpei iuuenis

IOACHIMVS CAROLVS BVCHHOLTZ

guſtrou.

quem, uti ob alia, ita praecipue ob facilitatem condendi carminis germanici magni aeſtimo, finem imponet, *uniuerſos ſeruatoris cruciatus* ordine recenſitos, *germanico* carmine, quod *alexandrinum* dicimus, explanaturus. deſtinata haec erant exercitia, uti mos fert, conſueto alias examini, quo uero, grauisſimas ob cauſas

ſas

254

Digitized by Google

ſas in aliud tempus dilato, nolumus tamen, SVPERIORVM CONCESSV, iuuentuti exercitium denegare. horum itaque iuuenum nominè inluſtres atque magnificos CONSVLES, ut fortisſima ita felicisſima patriae columina, nobilisſimos, conſultisſimos et experientisſimos dominos, SYNDICVM atque DOCTORES, admodum reuerendos ac praeclarisſimos uiros, SENIOREM, PASTORES et SYMMISTAS; nobilisſimos, generoſos, prudentisſimos et amplisſimos dominos, SENATORES, PROTONOTARIVM et SECRETARIOS; omnesque reliquos gymnaſii noſtri et poeſeos fautores eo, quo par eſt, cultu uehementer rogo, ut honorifica ſua nos dignentur praeſentia, iuuentutisque laudabilem conatum fauore et patrocinio ſuo iuuent. dabam lubecae ex muſeo a. d. IIII. aprilis A. R. S. cIↃ IↃcc XXVIIII.

VITTORIO EMANUELE BIBL.